


ANTONII
MALAGONNELLII
FLORENTINI
ORATIONES

Nova, & emendatior editio.








ROMÆ,

Typis Jo: Francisci Buagni. 1695.

Superiorum permissu.



A*Ntonii Malagonellii Orationes*, quas juſſu Reverendiſs. P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrarii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri ſumma cum diligentia, & voluptate legi, nihil continent vel rectæ Fidei, vel bonis moribus adverſum: Imò cùm elegantia ſermonis multiplici venuſtate referta optimè ſuſtineant famam, quam ſparſim editæ ſibi pepererunt, digniſſimæ profectò ſunt, quæ Optimo Pontificum Innocentio XII. elegantiſſima epiſtola Ioannis Gabrielis Reginerii inſcribantur, ut ſub tanto nomine ad commodum litera-

§ 3 to-

torum in unum collectæ, novis, & elegantioribus Typis edantur. Ità ſentio ex ædibus Divi Calliſti die 22. Julii 1695.

D. Joannes Baptiſta de Miro Monachus Caſinenſis.

INNOCENTIO DUODECIMO PONT. OPT. MAX.

G. I. REGINERIUS

Felicitatem.



Uemadmodum maxima rerum, PATER BEATISSIME, *profectò virtus est, atque egregiis facinoribus præcipua debetur tùm laus, cùm admiratio, ità etiam si à virtute discesseris, nibil, quod ejus ad excelsitatem, atque præstantiam propiùs accedat, quàm condignam ipsius laudationem, nihilque secundùm egregia facinora tàm egregium, tàmque admirabile, quàm parem ipsis orationem reperire un-*

quam possis. Quippe ut rem omnem paucis conficiam, nihil tàm simile est virtuti, quàm laus ipsius: nihilque tàm cognatum egregiis factis, ac penè idem, quàm egregia facta egregiè celebrare. Hæc intelligenti mihi, atque animo sæpiùs reputanti magnus inde, ac propè incredibilis, sed justissimus oboriebatur dolor: Non poteram enim, quin dolerem, atque vehementissimè angerer, quum viderem Antonii Malagonnellii à doctis tantoperè expetitas, ac propè efflagitatas orationes, ab ipso uno tantoperè negligi, ut haud immeritò timeri posset, ne posteritas his omninò fraudata, ingenii hujus ætatis maximam partem aliquando desideratura esset. Huic serarum gentium, atque futurorum eruditorum occurrit periculo vir, qui bonis artibus miscens nobilitatem, bonarum artium stu-

dia

dia morum ſapientia conſecrauit. Tantum dixi, quantum ſi ſtatim Alexandrum Falconerium dixiſſem. Ille, quod unum diſertiſſimis amici ſui lucubrationibus deerat, de edendis ipſis curam ſuſcepit, atque ità omnes ingenioſos, ac ingeniorum cupidos, qui certè iidem ſunt, exoptatiſſimo munere demerendo, me quoque ſingulari affecit beneficio, ut qui tui nominis æternitati eas conjungendi felicem anſam mihi præbuerit. Tibi igitur P. B. offero, conſecroque, quo majus ut offeratur, conſecreturque, fieri nunquam poſſe exiſtimo. Splendidum ſcilicet, ac undique decore refulgens, atque circumfluens rei omnium rerum magnificentiſſimæ, ideſt animi tui ſimulachrum omni elegantioris arte eloquentiæ elaboratum, atque perfectum. Cernes hic, quibus contextus eſt totus ætatis tuæ curſus ſum-

§ 5 *mæ*

mæ virtutis miracula, orationis adeò mira felicitate depicta, atque expressa, ut in facundiæ quoque miracula transierint, atque ità duplici simul animos occupent admiratione. Equidem aliorum adjunctas nonnullorum laudes hoc volumen complectitur. Sed quid refert? Nonne ipsæ, quibus alii extolluntur laudes tuæ sunt etiam, quum sint virtutis? Quotiescunque animi, qui uniuersis unus par sit magnitudo, constantiæ mediis. in malis rigescentis æternum robur, prudentiæ futurorum dominæ acumen in aliquo celebratur, toties tu in alio laudaris. Quibuscunque laudibus ornata est unquam virtus, eas omnes gloria tua, quasi in te refusas, ac redundantes jure sibi vindicat, atque tanquam sibi olim acquisitas ad se trahens, ac revocans ulla sine diminutione possidet. Quæ quum ità sint, non

vi-

video, quam confirmare ob rem mihi non liceat, grandiorem atque uberiorem, dignioremque stylum ad famæ tuæ ministerium nunquam se admovisse: nec ullum unquam laudum tuarum immortalitati satisfacere plenius posse: nunquam enim dignior ullus (velim ut invidiam præterlabatur oratio mea) virtuti inservivit. Nunquam magnificentia, amplitudo, splendorque verborum dignitatem, majestatemque virtutis imitatione propiùs assequutus est, seù potiùs æmulatus. Ille decorem omnem vincens virtutis decor sic expressus, & ad summam usque similitudinem effictus, perductusque in his orationibus eminet, atque effulget, ut, quod de vita tua dici debet, de his orationibus vitæ tuæ (quid enim illustrius dicere possum) similibus dici quoque possit: eas nempè quemdam videri trium-

§ 6 phum

phum virtutis, esse veluti veræ, solidæque gloriæ clarissimum multò, atque maximum templum. Si quis enim in magnificentiam qua assurgit, in ubertatem, atque copiam, qua se effundit, in lumina, quæ undique vibrat Malagonnelliana oratio, intueatur, atque acrem aciem intendat, num poterit quin mirabundo animo illam statim cogitationem suscipiat? Hæc tandem post tot sæculorum lapsus pompa inventa est par virtuti, digna illius majestate, cujus quæ vel maxima sunt in humanis, indigna sunt. Quæ præclarè ab illis gesta sunt, quorum laudationem suscepit Malagonnellius, adeò præclarè ab illo dicuntur, ut, quum ex actu in verba transeant, nihil tamen deperdant claritudinis suæ, atque speciei. Immò tàm illuminata, & tàm illustri, tàm actuosa, rebusque ipsis proxima, seù potiùs rerum

æmu-

æmula dictione narrantur, ut non tàm narrari, quàm iterùm geri, nec tàm in istis orationibus prædicari Heroum *egregia facta, quàm illi ipsi* Heroes *divinæ cujusdam* Eloquentiæ *vi, & absentes adesse, & mortui vivere, oculis obversari, atque egregia illa facinora perpetrare nobis coram attonitis videantur. Dicamnè planiùs, quid sentio? quamvis dictu paululùm duriùs atque difficiliùs sit. Ardens adeò est, & vibrans, & quasi fulminans Malagonnelliana oratio, ut non solùm spirare, vivere, sensus, atque dolores habere, sed agere quodammodò, & vincere, & triumphare mihi videatur. Nam, quemadmodùm in rebus bellicis, sic & in* Eloquentia *quædam sunt, ut ità dicam, pericula, in quibus, quum magni ingenii non modò, sed etiam magni animi versatur oratio, tunc judicium non tàm me-*

re-

retur, quàm non relinquit, ideòque magis meretur. Illa sunt audacia, eximia, & quasi nimia sensa, in quæ, quum generoso quodammodò impetu invadit oratio, tunc rapere, tunc vincere, tunc aliquid videtur rebus omnibus majus. Illud genus est orationis belligerum, & fulminans, cujus præda fiunt animi, splendor est mentis aciem perstringens, ardor & flamma quædam comburens animos, vis, & impetus abripiens voluntates. Malagonnellii autem oratio quamvis sæpiùs exquisita dulcissimarum sententiarum amænitate, quasi floribus tota contexta, numerorum elaborata facilitate fluentium lubrico lapsu effusa, concinna tota, atque demulcens effluat in lepores venustate quadam incredibili perfusa, delibuta, & quasi liquefacta, blandissimaque suavitate aures implens, atque titillans: tamen ille

sæpè

sæpè tàm incitato impetu altissima sensa, splendidissima verba, copiosissimam orationem vibrat, atque contorquet, tàm ardenti, igneaque dictione torret, comburitque lectorum animos, ut solùm fulmina tunc loqui videatur. Sanè, te uno excepto, cujus universas laudes nullius est tanta vis, ubertasque ingenii, nullus tàm incredibilis, effususque dicendi impetus, nullus orationis tantus splendor, ac propè divinitas, quæ, non dicam consequi ac complecti orando, sed perstringere solùm atque delibare possit enumerando; cæterùm facta magna quamvis, atque eximia, tamen eorum instar, quæ noctu geruntur, cæco silentio obsæpta premebantur, atque in altam oblivionis caliginem descendebant, quasi in sepulchrum, nisi Malagonnellii facundia spargens illa diserto lumine, quasdam veluti prætulisset

fa-

faces, atque animos hominum ad ea obvertiſſet. Et quamvis etiam ad aliquantulum temporis res illæ vigere in memoria mortalium potuiſſent, is profectò dies illuxiſſet aliquando, quo die & earum recordatio vetuſtate corrumperetur, obrueretur annis, & ſic denique ex humanis mentibus omnia illarum veſtigia omninò delerentur, ut nihil ampliùs ex illis ſupereſſet, quàm ſi nullæ unquam fuiſſent. Ipſæ victoriæ, quas ſive de hoſtibus, ſive de vitiis, ſive, quo nihil majus eſt, de ſe ipſis ingentes illi animi retulerunt, à diuturnitate temporis, ut ità dicam, debellatæ, ex hominum memoria ejicerentur, atque fugarentur, niſi vis Eloquentiæ acceſſiſſet, quæ has ipſas victorias oblivionis quoque redderet victrices. Unde intelligi debet opportunum maximè auxilium tot tantiſque virtutibus adverſus per-

perpetuum temporis lapsum, profundamque futurorum sæculorum altitudinem contigisse, quum illas Eloquentia magnifica oratione, velut quodam immortalitatis medicamento conditas in futuras propagavit ætates, adæquavit cum omni posteritate, atque æternitati reservavit. Splendidissima scilicet rerum Eloquentia sol est, qui egregia facinora illustrat, qui vitam, diuturnitatem, atque immortalitatem etiam illis præstat, gloriam, atque claritudinem, velut diem, & lucem quamdam, circumfundit. Et quantum magnis, fortibusque viris debet genus humanum, tantum vel magis ipsi debent disertis. At quid ego hæc, quum Malagonnellii laudes omnes complecti possim atque implere, si unum dixero, dignum videlicet extitisse illum, qui tuas tractaret, atque hoc fungeretur munere, cujus

mu-

muneris societas illi quædam, atque communitas cum sanctis animis Cælorum civibus intercedit. Quid enim? Nonne in laudibus tuis assiduè versari atque propemodùm occupari illos? Nonne in Cælis alterum famæ tuæ quasi domicilium collocatum existimandum est? Nonne iis qui summa felicitate fruuntur (audebo dicere) nova quodammodò factis tuis attulisti gaudia? Ipsa, ipsa medius fidius, quæ plurima in hac urbe supersunt priscæ sanctitatis monumenta, ipse μαρτύρων *sanguis, quo hæc tellus non madefacta, sed imbuta est, nunc videtur tibi gratias agere, nobiscum lætari, & tanto penè gaudio gestire, quanto quum effusus est. Enimverò ut perpetuam sanctorum laborum seriem, atque ætati tuæ æqualem prætermittam, ut taceam vivere nihil aliud tibi esse, quàm benefacere.*

Quid

Quid (replicetur licet omnis memoria vetustatis, evolvanturque fugitivorum sæculorum ordines) Quid, inquam, in terris tàm terris majus? Quid Cœlo dignius unquam visum est, quàm id, quod oculi nostri nobis nunc demonstrant, atque tamen oculis nostris demonstrantibus vix est, ut credamus. Unius liberalitas egenorum omnium amplissimum sit patrimonium. Nemini nunc licet esse misero. Ingens, atque repentina quædam rerum conversio terrarum orbem renovavit; nunc rarum est spectaculum pauper. Nihilque tàm commune, tàm vulgare, tàm consuetum, tàm in promptu est, quàm felicitas. Quid hoc rei est? Proh hominum fidem! & à qua tàm illustri causa erupit adeò mirabilis eventus? An novi, inexhaustique divitiarum fontes in telluris visceribus aperti, generis

ris

ris humani societatem inundavere? Num abrogata lege mortis, atque à servitute dolorum liberatis, & quasi manumissis hominibus, natura tandem in melius versa est? Minimè quidem ista, minimè. Sed multò majus est id, quod adepti sumus. Te nempè. Hinc est immortalis illa nostra lætitia, hoc triumphat gaudium nostrum, hoc uno denique beatissimi evasimus: Imperium enim tuum publica est felicitas, atque adeò felicitas publica beneficium est tuum. O' maxime non solùm Pontifex, sed maximorum Pontificum maxime, intuere vultus nuper deformatos dolore, absumptos inedia, madidos lacrymis, nunc opibus tuis, ac liberalitate recreatos, & lætos tuam tibi gloriam, atque simul salutem suam gratulantes. Efflorescens in ipsis intuere gaudium, ac quemadmodum imperio

tuo

tuo boni omnes exultant, tu vicissim, quod unicum tibi gaudium est, eorum gaudia gaude. Nuper tremulo gressu per vias exiguos artus trahentes, vel humi pejus jacentes ægri, atque fame exhausti, & ante mortem penè jam nulli videbantur, atque miserando calamitatum suarum aspectu vexabant oculos urbis. Occurrebant ubique squallidæ doloris imagines, & semiviva, putridaque cadavera, & ne quidem integra inter cives versabantur, & oberrabant, rogabantque, immò ne rogare quidem ob debilitatem poterant ab obviis stipem, ut lacerum truncumque, & quasi corpus, ut sui reliquias, ut morbos suos, saniem, tabem alerent, atque sustentarent. Famelicorum corpora ulcera depascebant, sub dio pernoctabant aperta, & lacera vitalia, & sæpè imbre, ac luto fædabantur illa pene-

tra-

tralia animæ, claustra vitæ, arcana humanitatis sæpè gelu rigebant, sæpè caloribus coquebantur. Videbamus languidos artus vix ferentes ulcera sua, quæ ferè totum erant illorum corpus, illa ipsa gelidis, asperisque saxis admoventes, atque imponentes, & quòcunque se vertissent, incumbentes semper plagis. Videbamus non vestibus modò, sed carne propè exutos, & quibus ob inopiam non cætera solùm, sed ipse etiam deerat sanguis, atque plurimum sui, immixtam cœno agere animam, ipsam quoque attritam malis, contractam, diminutam, atque exiguam, & quum miserum somnum suus illis aliquando languor induxisset, coactos tamen aeris inclementia vigilare dolori. Dum per famem, per vigilias, per morbos, per omnis acerbitatis cruciatus sævissimè absumebantur, dum tabescebant ip-

so-

ſorum artus, dum peribant, dum moriebantur, id unicum vivendi tempus habebant infelices: ſeù potiùs non vivebant illi, ſed perpetuos inter angores diù moriebantur. Aliena ope omninò deſtituti, manibus ſuis debilitatis curare, fovereque ipſi ſuas cogebantur infirmitates, id eſt, vulnera vulneribus contrectabant, atque ità dum ſaniem in ſaniem effundunt, dum veneno venenum admovent, dum vulnus verſant in vulnere, dum ſe, id eſt peſtem in ſe immittunt, membris ſuis ipſi membra ſua contrucidabant; Et quum ferè totum illorum corpus jam plenum morte, occupatumque foret, maximæ ſui partis jam mortuæ ſpectatores, & aliqua parte ſuperſtites ſibi hærebant miſeri mortuis membris, velut cuidam mortis ſuæ exemplari, atque parti, & inter mortem, doloremque diviſi, & quaſi à ſe di-

ſtra-

tralia animæ, claustra vitæ, arcana humanitatis sæpè gelu rigebant, sæpè caloribus coquebantur. Videbamus languidos artus vix ferentes ulcera sua, quæ ferè totum erant illorum corpus, illa ipsa gelidis, asperisque saxis admoventes, atque imponentes, & quòcunque se vertissent, incumbentes semper plagis. Videbamus non vestibus modò, sed carne propè exutos, & quibus ob inopiam non cætera solùm, sed ipse etiam deerat sanguis, atque plurimum sui, immixtam cœno agere animam, ipsam quoque attritam malis, contractam, diminutam, atque exiguam, & quum miserum somnum suus illis aliquando languor induxisset, coactos tamen aeris inclementia vigilare dolori. Dum per famem, per vigilias, per morbos, per omnis acerbitatis cruciatus sævissimè absumebantur, dum tabescebant ipso-

ſorum artus, dum peribant, dum moriebantur, id unicum vivendi tempus habebant infelices: ſeù potiùs non vivebant illi, ſed perpetuos inter angores diù moriebantur. Aliena ope omninò destituti, manibus ſuis debilitatis curare, fovereque ipſi ſuas cogebantur infirmitates, id eſt, vulnera vulneribus contrectabant, atque ità dum ſaniem in ſaniem effundunt, dum veneno venenum admovent, dum vulnus verſant in vulnere, dum ſe, id eſt peſtem in ſe immittunt, membris ſuis ipſi membra ſua contrucidabant; Et quum ferè totum illorum corpus jam plenum morte, occupatumque foret, maximæ ſui partis jam mortuæ ſpectatores, & aliqua parte ſuperſtites ſibi hærebant miſeri mortuis membris, velut cuidam mortis ſuæ exemplari, atque parti, & inter mortem, doloremque diviſi, & quaſi à ſe di-

ſtra-

ſtracti nihil ampliùs ſui videbant contrectabantque, niſi cadaver. Voſne ò metuenda, quæcunque in homines cadere poſſunt, calamitatum exempla. Vos ò noſtrum ſimiles, niſi quod ultra modum miſeri, projectos & veſtris ſolùm fruentes malis vidimus? Veſtros jam morte natantes oculos erranti, miſerabilique obtutu opem rogantes aliquam, aut ſaltem rogare conantes? Veſtra ſuſpiria, & moribundæ vocis ultimos gemitus, acerbaſque audivimus implorationes, quum omnium rerum inopia ſubducti, ſubtractique vitæ, liqueſcentes, deficienteſque in mortem miſerè dilaberemini. O infelices tunc vos non modò, ſed nos, ſed ipſam civitatem, in qua morbi, lacrymæ, cruciatus, dolores, mortes omnes denique, & acerbiſſimæ generis humani miſeriæ quotidianum erant, & ubique obvium

ſpe-

ſpectaculum. Nunc (& ò quàm diuerſa rerum facies) ſiluere ubique gemitus, ſed ubique auditur gloria tua. Guttura illa, quibus famem detraxiſti, laudibus tuis plena ſunt. Egeni vocem, cujus illis unicus erat uſus gemitus, ac lamenta, nunc ſolùm in gratiarum actionem emittunt. Quibus aliquam corporis partem, vel caſus eripuit, vel natura non dedit, pro membris habent dona tua, & rei nullius nunc indigentes, debilitatem ſuam ampliùs non ſentiunt, ſed reſtituta ſibi tandem membra, atque gratiſſimo errore ſe integros putant. Moribundis elabentem reddidiſti ſpiritum: quæ illis nunc ſupereſt vita, nihil aliud eſt, quàm beneficium tuum. Teſtor illorum mala, teſtor ſupremos gemitus, atque doloris niſu expulſam fermè animam; vivunt illi, ſed à media morte revocati, id eſt, benefi-

* cen-

centia tua in media morte, quasi iterùm nati sunt. Miseri denique non ampliùs dolent. Nam, ut à miseria illos subleves, satis magnum apud te meritum est, miserum esse. Ipsa sua calamitate, suis ipsis miseriis tibi fiunt amabiles. Illorum foves vulnera, osculaxis languorem, amplecteris debilitates, atque vim amoris assumit miseratio. Propè est, ut exclamem, ò miseri vestras amate miserias, vestris gaudete doloribus, vestræ gratulamini calamitati; ipsa, ipsa ambite mala: ideò enim felices illi sunt, quòd sunt miseri: quum propter idipsum tibi fiant cariores. Nunc ædium magnificentia, nunc omnium rerum copia, nunc divitiis ipsis fruuntur pauperes. Illorum certè est, quidquid est tuum. Ipse quin etiam animus tuus, voluntas, curæ, sollicitudines, cogitationes tuæ ab illis possidentur. Tui

la-

labores illorum otio serviunt, ut quietem illis præstes, nunquam capis; &, quas tibi eripis voluptates, in illos transfundis felix aliena solùm felicitate, quæ vera felicitas est Principum. Neminem in egestate nunc degere dixeram. Immò tu degis, sed solus, cum pauperum egestate tuas commutas opes, & pauperum loco, quos locupletas, ipse sis pauper. Quamquam non eo usus sum verbo, quo decuit. Is enim minimè pauper, sed maximè dives est, qui nullas sibi servat divitias, sed maximas effundit. Is maximè dives est, qui nihil habet, propterea quòd donat omnia. Is maximè dives est, qui divites alios reddit. Inest scilicet in te aliquid & fortuna majus, & natura melius ità, ut utriusque injurias resarcire quodammodo & possis, & velis. Atque id ipsum est, quod clarissimorum ducum, atque He-

roum omnium, quos celebravit antiquitas, tropæa supra, atque triumphos gloriam tuam evehit. Nullos tu quidem mortales, sed mortalium miserias, egestatem, inopiam debellasti, expugnasti. Nec præsentes solùm, sed prudenter benignus futuris etiam munificentiæ ingenio occurristi. Non enim præsentis ævi angustiis definitur tua liberalitas, sed in infinitum porrecta, atque effusa, immensa, æternaque (neque enim fas est aliter vocari) posteris etiam illucescet, ditabit futura sæcula, atque omnium temporum miseriis sat erit. Eorum lacrymæ, qui nondum lucem hausere, per te jam cohibentur. Eorum gemitus, qui adhuc voce carent, à te jam exaudiuntur. Eorum vita per te jam sustentatur, & propagatur, quibus natura vitam adhuc negavit; adeò nulli sunt expertes beneficiorum tuorum, ut ii,

ut ii, qui non ſunt, jam tibi devincti ſint. O verè communis Parens plùs tibi, quàm naturæ ipſi futura debebit ætas. Qui enim in poſterùm beneficio naturæ naſcentur, beneficio tuo naſcentur felices. Magna ſunt iſta. Quis enim negat? immò vix non immenſa, atque incredibilia ſunt. Quis enim illa capere unquam animo, atque cogitatione complecti poterit? Attamen iſta, quæ omnia generis humani facinora magnitudine ſua obtrivere, atque ſplendore obſcuravere (rem incredibilem narrabo) ipſa obſcurata atque ſuperata ſunt (rem credibilem narrabo) ſed à te ipſo. Ità ſanè in damno comparatæ jam gloriæ novam ſemper comparas, laudari ipſum perdis, dum efficis, ut ſatis non poſſis: & admiratione debita fraudas te, dum omninò omnium animos ſtupore attonas, atque percellis. Equi-

dem dicere licet non ampliùs auri argentique venis, non fodinis, non divitiis ipsis egent homines, ut sint divites. Sed in animo tuo, sed in munificentia tua, sed in liberalitate sitæ, atque reconditæ sunt veræ populorum divitiæ; mens tua, virtutes tuæ illæ sunt maximæ, atque inexhaustæ humani generis opes. Quantùm tu bonus es, (quid majus dicere possum?) tantùm nunc divites sunt mortales. Te, te, inquam, summum habere rectorem certissima ipsis opulentia est, vel omnia illis eripiat natura, præter unum te, omnia relinquet. Verùm, si locupletare homines ingens fuit, ac propè divinum, atque adeò tuum, quid illis afferre veros, atque solidos honores? titulos? dignitates? ipsam constituere gloriam? Dicam enim, atque erumpet aliquando ex me vera vox. Plurimis non tàm dignitatibus,

atque

atque honoribus, quàm dignitatum insignibus, quàm honorum vocabulis uti poterant antea homines. Fucus quidam illarum dignitatum, atque umbra lucem earum mentiens apud Rempublicam erat, non erant ipsæ dignitates, non erat ipsum lumen honoris. Nec enim quævis dignitatum genera dignitates sunt. Nec quævis titulorum genera tituli sunt. Nec quævis honorum genera honores sunt. Sed eæ dignitates, quæ virtute emuntur, non auro polluuntur, atque contaminantur, dignitates sunt. Sed ii tituli, qui addicti sunt solùm virtuti tituli sunt. Sed honores ii, qui præmium sunt, atque merces solius virtutis, honores sunt. Dum per mille indignitates ad dignitates obrepitur, dum honores non comparantur nisi dedecore, nisi quis indignum illis, ut illa mereatur, se reddiderit, dum ad conse-

quendos titulos aurum loco virtutis est, tituli ipsi loco sunt contumeliæ, dignitates pignus, atque testimonium indigni animi, atque honores ipsi non honestant, sed dehonestantur. Quod ne unquam accidere possit pro tua divina sapientia providisti, providisti, inquam, ne improbitas magnis opibus sustentata, atque ideò pejor grassans per Rempublicam furari, depecularique possit patrimonium virtutis, reddidisti suum honoribus splendorem, honores virtuti. Quapropter unus est in præsentia honorum ambitus, mereri. Et quasi Princeps nihil aliud sit quàm virtus, quasi, inquam, virtus, atque Princeps una nunc, atque eadem res sit, uno, eodemque pacto uterque simul colitur. Quod quàm latè pateat, tùm in gloriam tuam, cùm in publicam utilitatem nullus non intelligit, nisi qui proposita laboribus, atque

me-

meritis præmia faces esse, atque stimulos virtutis nescit. Est, est profectò honos cujus objecta specie vilescit vita, lubentes ruunt homines in vulnera, & adversus imminentis mortis imaginem contumaces, fato suo lætabundi occurrunt. Illud est honoris lumen, quod per dolores, per cruciatus, per asperrima quæque abripit viros, quod in pericula mittit audaces, quod ex ipsis sudorem non modò, sed sanguinem, atque sæpè animam, contemptricem illam laborum, cupidamque gloriæ per crudeles sed decoras plagas elicit, atque educit. Jure igitur debebuntur tibi etiam illæ laudes, quibus alii deinceps ornabuntur, illi enim quodammodò debebunt tibi virtutes suas. Quidquid præclarè facient, meritum id erit omne tuum, magni illi solùm, quia tu maximus. Scilicet parùm tibi visum est immensa animo tuo

capere, atque agere, nisi quodammodò & aliorum animis ageres. Parùm tibi visum est virtutem toto animo tuo complecti, nisi & aliorum animis (voluntates illis tuas; & quasi te ipsum infundens) illam etiam amplecteris. Tibi satis non fuit esse optimo. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Invenisti quo pacto plùs, quàm optimus fieres, nimirùm bonos alios efficiendo. Fæcunda virtus tua in aliorum animis virtutes vel procreavit, vel exsuscitavit, & seipsam, quæ summa est, quum non possit, non auget, sed quantùm fieri potest, multiplicat. Atque hæc tàm magna tàm multa, & tàm stupenda, ut ad finem perduci potuerint, tempus effluxisse propè infinitum, & priscorum omnium Heroum *confluxisse vires, nec ampliùs extinctos*

illos,

illos, sed quicunque fuerunt per omne ævum ingentes animi hos universos horum omnium vim collectam, atque virtutes in uno animo tuo stare contineri, spirare, agere quis dubitet? Sed quis credat? Unus tu, sed irrequietus, indefessus, constans, audens, periclitans, & ut ita dicam celeritate agendi quasi multiplex, uno penè momento omnia confecisti, id est planè divina divino more gessisti, cumulasti miracula miraculis, fecisti quoddam compendium æternitatis. Atqui tamen nondum dixi cęteras sollicitudines tuas, curas, vigilias, labores, quidquid agis, & rursus quidquid non agis. Utroque enim tu maximus, vix attigi tàm ampla, copiosæque, atque, ut ità dicam, numerosæ gloriæ nonnullam partem: tacui, quæ omnium oculi mirantur, quibus Roma nunc est seipsa major, magnificas illas

ædificiorum moles, quibus urbem donasti. Verùm illa inter tot, atque tanta monumenta nullum in gloriam tuam magis assurgit, quàm humile illud, quod tibi struxisti conditorium, cujus tenuitas Cæsarum monumentis longè major atque splendidior ambitionem omnem videtur prostravisse. Rara profectò res, atque maxima admiratione digna in summa fortuna suscepta de morte cogitatio. In hoc rerum humanarum fastigio, atque apice lubenter se mortalem agnoscere, lubenter, inquam, mortalitatis suæ cogitationem pati supra mortalem est. Ut enim mors vitam eripit, sic ejus cogitatio, atque metus omnem voluptatem vitæ. Mors in vitæ extremo limite, mortalitas per totam vitam nos torquet. Illa, inquam, cogitatio medias inter delicias se inferens, & quasi gaudiis nostris insidians, te-

ner-

nerrimas illas cogitationes, quas vulgus felicitatem vocat, disturbat, atque dispergit. Efficit illa, ut timidè semper lætemur, id est, ut nunquam. Illa dum minax finem hujus lucis, atque amissionem earum omnium rerum, quibus constat vitæ suavitas, imminentem ostentat, brevia illa, fugitivaque gaudia acerbiora nobis reddit, quàm sint ipsi cruciatus, nos, inquam, acriùs angit voluptatibus, quàm dolore. In mortem illa sæpè compellit, tanquam in mortis metus remedium, ac effugium. Illa denique omnia tanquam aliena, immò nos ipsos viventibus nobis detrahit; seù potiùs, ut nunquam verè vivamus, efficit. Quid enim in hac spirandi patientia quid est, inquam, id, quod vitam vocamus? num illud tempus, quum ad capitis supplicium jubente, atque exigente natura rapimur, videmus & tre-

mi-

ædificiorum moles, quibus urbem donasti. Verùm illa inter tot, atque tanta monumenta nullum in gloriam tuam magis assurgit, quàm humile illud, quod tibi struxisti conditorium, cujus tenuitas Cæsarum monumentis longè major atque splendidior ambitionem omnem videtur prostravisse. Rara profectò res, atque maxima admiratione digna in summa fortuna suscepta de morte cogitatio. In hoc rerum humanarum fastigio, atque apice lubenter se mortalem agnoscere, lubenter, inquam, mortalitatis suæ cogitationem pati supra mortalem est. Ut enim mors vitam eripit, sic ejus cogitatio, atque metus omnem voluptatem vitæ. Mors in vitæ extremo limite, mortalitas per totam vitam nos torquet. Illa, inquam, cogitatio medias inter delicias se inferens, & quasi gaudiis nostris insidians, te-

ner-

nerrimas illas cogitationes, quas vulgus felicitatem vocat, disturbat, atque dispergit. Efficit illa, ut timidè semper lætemur, id est, ut nunquam. Illa dum minax finem hujus lucis, atque amissionem earum omnium rerum, quibus constat vitæ suavitas, imminentem ostentat, brevia illa, fugitivaque gaudia acerbiora nobis reddit, quàm sint ipsi cruciatus, nos, inquam, acriùs angit voluptatibus, quàm dolore. In mortem illa sæpè compellit, tanquam in mortis metus remedium, ac effugium. Illa denique omnia tanquam aliena, immò nos ipsos viventibus nobis detrahit; seù potiùs, ut nunquam verè vivamus, efficit. Quid enim in hac spirandi patientia quid est, inquam, id, quod vitam vocamus? num illud tempus, quum ad capitis supplicium jubente, atque exigente natura rapimur, videmus & tremi-

mi-

mimus: illud tempus, quo tempore animum in mortis cogitatione versantes, mortem vitæ immiscemus, ejus metu jam propè interfecti. Id mehercule non vitam vivere est, sed vitam fugere. Itaque homines cogitationem mortis, tanquam carnificem voluptatum refugiunt, atque ab illa resiliunt statim, atque in illam incurrere; in primis verò illi, quorum vita multis aucta opibus tàm serie deliciarum, quàm dierum constat, & inter gaudia defluens in voluptatibus tota commoratur, atque conquiescit. Tunc enim qui mortem spernit, non solam mortem spernit, sed vitam, sed vitæ commoda, sed commodorum voluptates. Quod si in animorum plebe nonnulli exsurgunt interdum, qui mortem minùs metuant, id plerique faciunt propterea quòd dolorem nimis metuunt; alios mæstitia ex vita lubentes

tes

tes ejicit: aliis ira, aliis spes, aliis timor ipse ingenerat audaciam. Omnes verò non tàm mortem spernunt, quàm non cogitant. Ipsam vero mortem toto animo meditari, & spectare, atque tractare in vita ex omni parte beatissima, atque huic cogitationi incumbere tàm immoto animo, atque vultu, quàm si fores immortalis, id profectò ipsam est domare naturam: nec tàm morti subjici, quàm ipsam sibi mortem subjicere. Atque re vera quid tu mortem timeres, qui vix eges morte ut immortalis fias, ut cælum ingrediaris, ut animis corpore liberis similis atque par sis: ut in eorum ordinem referaris, qui exuta projectaque mortalitate, & ex humano pectore egressi, sidera diemque ipsum calcantes, atque sine corpore, ex sola nunc constantes virtute plusquàm homines facti sunt, vix aliqua specie mortis, vix levissima

qua-

quadam immutatione opus est, opus est tantum, ut idem sis, qui nunc es. Aliud ex alio occurrit, nec ullam laudem tuam claudere licet nisi alia. Nullum quippe temporis exit momentum, quod non insigni facto nobilites, quod non augeat tua in genus humanum beneficia. Quin usque adeò actuosa est, atque velox benignitas tua, ut temporis celeritati anteeat, & temporis momentis sit quodammodo multiplicior, si ita loqui fas est, plùs agis, quàm vivis. En dum hæc scribo, terra tremuit, atque finitima quædam oppida in ruinas, pulveremque comminuens prostravit omninò, demersit, sepelivit. Hæc fuere olim mala, ne dicam atrocissima mortalitatis pericula, atque immania exitii monstra: nunc, te rerum custode, non sunt, aut certè esse non sentimus. Quicquid hausit, & abstulit tellus rebellans, restituit, atque pleniùs

re-

refundit inexhausta, indefessaque munificentia tua, & dum reddit, quicquid perierat, efficit propè, ut non perierit, ut qui factus est terræ motus, infectus sit. Ergo *vel fugientibus, vel irruentibus elementis, conquassata subterraneis fulminibus, contrita, atque subducente se tellure, publica felicitas tuæ bonitati innixa inconcussa stat, atque secura.* Haud *secus solis splendore tenebræ eluuntur, quàm tua bonitate exarmata omnia naturæ mala vires nocendi nunc amisere. Tantarum itaque rerum in monumenta quamvis assurgant pyramidum, atque arcuum immensæ moles, congeratur quicquid in antiquorum principum gloriam factum est, immò etiam quicquid non factum est, atque non solùm mons aliquis imagine tua indutus fiat tibi statua, ut spes olim injecta fuerat adolescenti illi Pellæo, quem natu-*

ra

ra videtur edidisse, cum quo terrarum orbem collideret, sed ut alia non dicam, Sol, si fieri posset, atque lux ipsa in effigiem tuam elaboretur, sed orbis erigatur in tropocum, sed alius unicè in gloriam tuam nascatur, atque exsurgat. Universa hæc conferta, atque exagerata nihil ad illarum amplitudinem, atque præstantiam. Orbis enim iste, cujus magnitudo terret oculos nostros, quid aliud magno animo videtur, quàm angustiæ quædam, quàm eorum, quæ natura morte damnavit, atque famæ ipsius carcer, quàm pars brevis somnii. Illam innumerorum corporum, quæ continua serie adhærentia sibi, atque contexta unum velut corpus efficiunt, hanc tàm variæ, multiplicisque materiæ porrectam undique, ac expassam universitatem, quam oculis, ut ità dicam, tangimus, quæ imperitorum cogitationes absorbet,

exhau-

exhauritque, magnus animus vel una cogitatione complectitur, atque involvit. Immò quantùm abest, quin mundus totus cogitationem illius impleat. Diversi illi limites, quibus undique circumscriptus, ac veluti vinculis, catenisque circumstrictus, atque depressus in se coarctatur orbis, illi, inquam, termini, ubi hæret mundus, naturaque desinens in se revertitur, adhærere sibi invicem, & idem esse, & quicquid ipsa interjacet, quasi nullum magnæ menti videtur: quia vix à nihilo sunt diversa, quæ ultra limites quosdam nulla sunt. Ità dico animus ingens, qui orbe ipso vastior ejus fines cogitatione perrumpit, qui per mediam mortem immortalitatem invadit, omnia, quorum natura in corpore, atque materia sita est, infra naturæ suæ dignitatem jacere intelligit. Ridet ille, atque altè cogitabundus pro-

te-

terit, atque conculcat laborantem, ſudantemque vulgi ambitionem, quæ in terrarum anguſtiis concluſa, his in ipſis ſe dilatari velit, quæ ex pulvere, atque luto claritudinem petens, atque monumenta ſibi erigens, ſordibus quodammodo ſe ornet, quæ à mortalitate fugere fruſtrà cupiens, atque in fatum ire ſuum recuſans, nonnullis inſcriptis, vel inſculptis marmoribus, parvo ære in imagines elaborato, his, inquam, perituris, immò pereuntibus conſtare atque contineri æternitatem gloriæ exiſtimet. O miſeroſne potiùs dicam? aut ridiculos? vel utrumque? Iſta, quæ putatis tropæa, ludibria ſunt, & puerorum ludicris proximæ nugæ, atque prorſus vobis ipſis ſimiles. Ità in hac temporum fuga exiſtunt, ut exiſtere ſtatim deſinentes ne quidem extitiſſe videantur, pereunt etiam illarum ruina, vix fuere.

Sic

Sic certè se res habet, atque sic etiam magno animo videtur, qui statuis, cęterisque mutis monumentis affixam, insitamque inhærere famam suam nec cupit, nec curat: at sibi dari aliquid congruum sibi magis, & aptum, vivum, ac animatum suam, cui sustentandam gloriam, atque per omne ævum propagandam commendet, atque committat. Atque id, quod tacito quodam voto in præstantibus viris insidens, & innata animi magnitudo petit, atque designat; Quid aliud est, quàm cujusdam gravis orationis cum magnificis verbis, tùm splendidis sententiis copiosæ majestas, atque amplitudo? Illud nempè monumentum est, quod non solùm animæ, sed ingenii plenum; vivum est non modò, sed quæ natura mentis est, immortale, Posteritatem, atque alia ex aliis orientia sæcula de maximis virtutibus

æter-

æterna voce admonens, ac contestans, atque per omne ævum spargens summorum virorum laudes, & in memoriam orbis terræ sempiternam disseminans. Quod ut tempus diuturnitate, sic mundum magnitudine exsuperat. Quum enim ea, quæ natura mentis constant, locum effugiant, hoc ipso, quasi infinita existunt, adeòque corporibus omnibus majora. En hujusmodi monumentum P. B. *non ex vilibus abjectisque illis unum, quæ auro, gemmisque, splendido illo luto, pauperibus terrarum divitiis, pretiosis ambitioni sordibus refulgent, sed luminibus ingenii totum extructum. Quod mutentur licet, evertantur, corruant imperia, & non hominum modò, sed urbium fiat quædam strages, procumbant montes, comburatur tellus, vel ipsa suis submota, convulsaque sedibus in mare discedat,*

atque

atque effundatur, ipſum deſinat tempus, ſtabit integrum in univerſi interitu, & fracto orbe, diſſipato atque evaneſcente cœlo, quum non tàm mundus ſupererit, quàm quoddam mundi quaſi cadaver, quum omnia ſolùm ruinæ, immò jam nulla erunt, vegetum manebit, atque efflorescens. Quod de livore, de morte, de tempore triumphans, naturæ ſuperſtes cum animis hominum ipſam ingredietur, occupabitque æternitatem. En, inquam, pretiosè aſſurgentem facundiæ molem. En puriſſimam, politiſſimamque ingenii partem in laudes tuas abſumptam. Nam profectò nihil aliud eſt Eloquentia, quàm flos mentis, atque pulchritudo, quàm lux quædam ingenioſa, fulmen animorum, cujus, lumen illud quod oculos noſtros afficit, non tàm imago, quàm umbra eſt. Atque hæc eadem perfecta, & unica

eſt

est effigies virtutis, animaque gloriæ. Verùm unde est orsa, in eo terminetur oratio. Dignare ò Christianæ Patriæ *Sanctè Parens tributum, quod imperaverunt orbi virtutes tuæ, bonorum scilicet omnium amorem non modò, voluntates, animos; sed etiam summi viri exquisitam doctrinam, clarissimum ingenium, & quod iis, qui tanto præmio digna gessere, tàm gratum debet esse, quàm quod gratissimum, Eloquentiam immortalem.* Romæ Kal. *Jun. MDCXCV.*

EMMANUEL MARTINUS

L E C T O R I

Salutem, & amorem.

M*Alagonnellii* noſtri *Orationes* ab eruditiſſimis quibuſque hominibus anxiè diù exſpectatæ, ab aliquibus verò etiam cum animi impotentia, prodierunt tandem anno præterito typis Venetis. Sed (nefas!) mendis, nævisque adeò deformes, ut caſtiſſimæ, ac pudiciſſimæ matronæ meretricum ſpeciem induiſſe viderentur. Illud mihi vulnus fuit inflictum ex ea operis jactura, ut niſi denuò ederentur, vitam penè mihi acerbam putarem. Eadem vota, idem animus, pro omnibus, ac Latinæ eloquentiæ verè

A aman-

amantibus. Precari igitur auctorem, verbis ſuadere, orare, ut ſi forſan exorare liceret. Ceſſit denique amicorum precibus. Statutum ergo hanc caſtiſſimarum virginum (Muſarum veriùs dicerem) enneada cultiori, decentiorique habitu in literatorum hominum conſpectum emittere. En igitur illas, nobis potiſſimùm ſuadentibus, benigne Lector, queis ſine ſtupri periculo frui commodùm poſſis. Me enim proxenetam aut impulſorem hìc profiteri minimè erubeſco. Invenies in iis, Lector, ingenuum illum Latini ſermonis pudorem, ac, ut ità dicam, verecundiam. Non elumbe, exſuccum, ac ſupinum illud dicendi genus, quod hac tempeſtate, neſcio qua vi maligni ac peſtilentis ſideris, multorum animos afflavit, ſiderarit-

que.

que. Sed grande illud, potens, nervoſum, ac verè maſculum: in cujus brevitate robur, in robore ſplendorem, in ſplendore numeros invenias, ac commiſſuram illam, Romanæ eloquentiæ decus, Latinarumque aurium illicium atque irritamentum. Fruere Lector, & Vale.

Imprimatur;

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Apoſt. Pal.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Thomas Maria Ferrari Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.



CASUS PRINCIPIS

SIVE

DE LAUDIBUS

INNOCENTII XII.

PONT. OPT. MAX.



ORATIO I.

ANTONII MALAGONNELLII
Inter Arcades Sireni.



Auguftæ, ac pulcherrimæ

URBIUM

NEAPOLI.

Antonius Malagonnellius

Felicitatem.





Mprobum ſane facinus litterarum audacia majeſtatem illius Ur-*bis adire, quæ fœcunda parens Heroum, populo velut Regum gloriatur; Et quæ una eſſet ingenio maris, terrarumque ſideribus emula, niſi & eandem in commune fatum mortalitātis*

provida Divinitas condidisset. Tamen si peregrinum, & incultum hominem non dedigneris, inferam gloriæ tuæ pulvinaribus non barbaricæ opulentiæ donaria, sed in paupere Musarum supellectili grande amoris, & obsequii pignus, atque adeò magnitudine argumenti nobilitatum, ut non alibi Te tibi digniùs ostendam: cum Tu, quæ, quantaque sis, uno vel in Cive cognoveris. Vale.



Deone tàm malè de Cœlo meruimus, ut parùm fuerit lethali Principis casu salutem nostram, & publica vota prosterni, nisi & imagine duraturæ felicitatis elusos inopinus Fortunæ turbo colliserit? Furor est de Numinibus queri; sed magnarum Urbium excidia, ingentium populorum clades in ultionis divinæ remedium, miris anteà ostentis denunciatæ, & sæpè fulmina, ut ignoscerent, cecidere. Sic olim contumax eversa est Sion, & pœnitentia Ninive stetit incolumis. Una Urbium Roma, Sacrarium Fidei, colonia siderum, repentino tacta fulmine, procubuit, nullo Superum præmonente; nisi assiduis conflictata calamitatibus non aliis fuerit deterrenda minis, quàm prodigio felicitatis. Quod si decretum est expiari quicquid irarum in nos cœlestium humana excivere flagitia, non pœnam superi deprecamur; irruat Euro-

pam Asia, expetatur in arenam, preciumque bellorum Italia, deneget Cœlum fruges, & Urbem hanc acervo funerum pestifer annus involvat. Revocet tamen pollutam sacrilegio manum Fortuna, horreat facinus, quod non omnium retro Principum funera exæquarent, nec in immensum aucta sceptrorum strue posteritas omnis expleret. Principe hoc uno incolumi, per adversa casuum, perque undarum, ac terræ minas æmula siderum nubes securitati nos reddet. Certa est, quæ venit de exemplis fiducia; Nam ut primùm viro huic Sanctissimo imperium humani generis delatum est, & novo, ac salutari sidere Vaticani Cœlum refulsit, sensit admotam illicò terrarum orbis custodiam, & mutatis rerum vicibus resurgentes Asiæ vires attritæ, Europæ arma infra iram stetere: repressa imminens Latio fames, & Ægyptiæ cladi par lues.

Liceat inter exordia regiæ laudis effari, quod non adhuc Oratorum ullus,

ullus, nec fortasse in posterum de se profiteri aut poterit unquam, aut volet. Par nempè mihi, ac Principi, novumque decus accedere, quòd non præmiis, nec judicio quidem honestatus, sed insinuante sese nuper invidia repulsus, velim nunc studium omne, & ingenii curas intendere, non ut per aliena facinora inclarescam, & majestatem invitam alioqui, & laudum aspernantem obsequentis styli audacia prosequar; sed ut memoriæ temporum, honori Urbis, & veritati rerum inserviam; si non gratiæ apud invidos, fidei tamen, & integritatis gloriam apud posteros habiturus. Et sanè quis unquam in decus, famamque sæculi pronior me uno? qui aliorum irrisui temeritatem præsumptæ eloquentiæ difficillimo præsertim argumento contulerim, in quo pleraque laudum ideò supprimenda, quia Principis nostri gloriam non tàm augent, quàm imminuunt; Nam si deprehensus in origine sua Nilus Ægyptiæ gloriæ

minor effluxit, quo nunc ſtudio & ſuſpenſæ artis labore cuiquam eruditæ etiam facundiæ viro initia eſſent, & origines divini hujus propemodum hominis prætentandæ, ne tot regias animi dotes, & excelſæ indolis ornamenta, ut ingenita, & fortuita, natalium fulgor, & ſors altiſſima Patriæ inumbraret?

Non enim humili velut urbe, aut obſcuro editus municipio ad lucem magnæ fortunæ caligavit, ſed triumphales ei cunas, & auguſtos ſpiritus indidit grande illud Italicæ claritudinis adjumentum, Neapolis: Urbs omnium, quas Cœli convexitas ambit, pulcherrima. Ibi namque aeris mira clementia, terrarum orbis commercio fervens mare, & ipſa collium fertilitas in coronam perpetuæ amænitatis educta, gaudentis Naturæ ſedem, ac regnum oſtentant. Genium tantæ Urbis bellica civium virtus, & ſtudia pacis commendant. Ad hæc aperti mores, & exculti, pronæ ad pietatem men-

mentes, nil tamen humile, aut vulgare ſpirantes; nam ſupra corporis dignitatem, ac decus formæ, tantus fidei pudor, tanta nobilium animis laxatæ gravitatis venuſtas elucet; ſimulque tam generoſa rerum, ac vitæ contemptio, ut facilè inſitam regiæ indolis majeſtatem deprehendas privatæ fortunæ gloria feliciorem.

Et quando jam libuit virtutes ipſas cenſu fortunæ reputari, cur non hìc inditam ſibi labem ultrix facundia redimat, ſeque damno Principis, & iniuria laudum nobilitet? Complectar magnitudinem, fortunamque regiæ hujus propemodum domus, & vetuſtiſſimæ nobilitatis atria colluſtrans, proferam ſimulacra omnia, & innumera gentis monumenta, quibus vel ipſa veteris olim Octaviæ auguſta porticus ſuperbiret. Deinde repetitis ab ultima avorum ſtirpe maximarum rerum exemplis, aperiam artes, ſtudia, inſtinctus, quibus ingentes animæ, velut tradita per ſucceſſiones

glo-

gloria, & verſa in naturam conſuetudine ardua quæque, & excelſa prætentandi, ævum ſuum, totamque poſteritatem illuſtrarunt. Cernere primùm erit religioſo pacis otio, & ſapientiæ ſtudiis enata ingenia ſanctitate infularùm urbibus imminere, moderari exemplo populos, Principes, Regeſque conſilio. Hinc artium præſidia, literarum decora, voces, & oracula Principum, ac diſſidentium dominationum fœdera, & amores. Magna quidem hæc, ſed ipſa Heroum multitudine, rerumque proventu clariora; congeſta tamen, & in arctum retracta, veluti gloriam omnem, ſpatiumque datura Principi, cui nunc terrarum inclinatur Orbis, & mortalia omnia veneratione procumbunt. Sed nequis credat, domum hanc Religionis tantummodò, & literarum altricem, ſpectaculum gentibus tradam, in quo nil niſi atrox, atque truculentum occurret. Expugnatæ arces, fugati exercitus, incenſæ Urbes, ſtrata ca-

da-

daveribus littora, infectum cladibus mare, plena demùm omnia tumultus, periculorum, & sanguinis. Addam innumera provocatæ fortitudinis experimenta, & suspensis utrinque exercituum animis, Torquati sæpè gloriam pari certamine exæquatam; & ne sibi Roma nimis, Iliumque placeat, clypeos inter, & rostra navium, hastasque, magna semper nomina, Antonii, Fabricii, Scipiones, pluresque, bellorum fulmina, Hectores eminebunt.

Annè igitur magnanimitatem nostri Principis, justitiam, pietatem, abstinentiam, ut propria, utque sua laudaverim? Nisi fortè omnem supra gloriam fuerit, quod hæc eadem per exteras gentes, variosque populorum mores intacta, & illibata servaverit, & rarissimam magnis domibus laudem custodiverit, innocentiam. Nec mirum videretur, si sacros inter Thebarum recessus, aut consecrata abstinentiæ claustra talis nunc esset; sed in publica mundi luce, ac Principum au-

lis,

lis, inter ancillantis nequitiæ blandimenta, & feliciora virtutibus scelera degentem non invidia premi, aut premere, non voluptatibus irretiri, non spe, non metu torqueri; sed obniti cupiditatibus, affectibus imminere, prosperam, adversamque fortunam ex æquo respicere; non minùs arduum, ac portentosum existimo, quàm cum sanctissimo Regum Davide fauces Leonum elisisse, & intra septa crudelitatis stetisse cum Daniele securum.

Romæ siquidem à puero spatia virtutum ingressus, & veluti jam inde censuram Urbi, & exemplum deberet, acta per honestas artes adolescentia, juveniles annos iis potissimum studiis, & sapientiæ meditamentis exercuit, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Festinata meritorum luce, anceps, & infidum aulæ limen intravit. Comitabantur futuri Principis juventam ingenuus pudor, inaffectata gravitas, ingens animus, & laudatis antiquorum moribus haud impar

par virtus. Quæ invisa statim, seu potiùs ignota, vitia fuere inter eos, quibus non nisi subdola, torvaque virtus placeret. Brevi tamen obversis in obsequium animis, adeò vicit peculiare malum invidiam, ut jam nil ei fore impervium boni, ac mali juxta rara felicitate ominarentur. Vidit aula in hoc viro promovendo plurimorum sanè Pontificum illustre certamen. Hinc honorum initia, Præfecturæ, Magistratus, regimina, per quæ non tàm effusa in egestatem pietas, quàm insitus quidam horror emicuit adversùs sensuum illecebras, & blandimenta munerum, quibus haud raró temeratæ administrantium mentes arbitria Principum, ipsamque majestatem licitantur. Positis per minora tyrociniis, & jam regna, regumque animos prudentia complectens, Hetruriæ, Poloniæ, Germaniæ demùm aulas legationibus insignivit; Et ut sidera peractum cœlo iter vestigio lucis designant, sic militare illud, ac nobile supercilium

lium Africæ Melitam, & peragratos Europæ tractus regiis artibus, & Apostolicæ solicitudinis gloria illustravit.

Visa tamen vani nominis Fortuna vim suam immiscuisse, ut natum ad imperia virum per secunda, adversaque casuum erudiret. Nam repente gradibus honorum abruptis, ad Lyciensis Ecclesiæ tutelam, sinistra in aulam interpretatione seponitur. Commoverant animos supra ingenium, quod Europa ferè omnis exercuerat, gesti honores, imminutæ opes, & per labores, pericula, solicitudines, in senium festinata jam ætas. Ceterùm inconcussus, atque imperturbatus, aucta per obsequium, & constantiam fama, suam adeò Principi fidem comprobavit, ut Romam accersitus insignioribus aulæ præfecturis decoraretur, non sine spe purpuræ, quam haud longo annorum interiectu sub imperio Innocentii XI. virtutum acerrimi æstimatoris assequitur. Faventina mox infula redimitus,

& à

& à Bononiensi Legatione recens, Neapolim ad sacra patriæ tutanda revertitur, comitante opinione, parari rerum humanarum id caput. Non spes, aut omen improbavit eventus; nam sanctioribus nuper mundi comitiis, sortem penè omnem mortalitatis egressus terrestre, Dei solium ascendit, sibique convenientissimum integritati suę nomen assumpsit, ut desideratissimi Principis memoriam extenderet, & immistos jam Cœlo mores nominis innocentia referret.

Præcipua novi Principis consilia fuere, non infelicium Provinciarum spoliis, aut sacra censuum opulentia hiantem suæ domus charybdim explere, inserere Principibus posteros, ac ea demùm exequi, per quæ impiorum procacitas, odiumque nobilitatur; sed apostolicæ dominationis disciplinam recognoscere, inspicere magistratus, judicia, ærarium, robur denique urbani militis, & quicquid in magno imperio, magnoque populo dignitas Principis,

& li-

& licentia temporum expetebat. Et quamvis natura blandus, & raró cuiquam adverſus, tamen, ut primùm negotia, & ingenia hominum poſtularunt, adeò ab inſita lenitate deſcivit, ut eluſa eorum ſpe, qui ſegniter, ac remiſsè regnaturum crediderant, fræna ſtatim injecerit contumaci ſuperbiæ, & Urbem molliter, ac licenter habitam ad modeſtiæ, pietatiſque frontem coegerit.

Quamquam non alia major Principis noſtri gloria, quàm quòd cupiditates hominum moderaturus, exemplo primùm ſuo, regnatricem aulam ita priſtinæ ſanctitati reſtituit, ut in una domo univerſam penè mortalitatem emendaverit. Et ſanè certioribus nunquam experimentis comprobatum poſſe ſuperba etiam aularum faſtidia, & callidam Procerum integritatem, vanaque alia ſpei celſioris molimina, ad veritatem innocentiæ compelli exemplo, metuque imperantium. Quin ipſa Quirinalia tecta, commune pignus felicitatis amplexa, fini-

finitimam collium ſuperbiam tàm hilari, novaque luce videntur laceſſere, ut planè intelligantur glorioſiſſimi Principis ſentire dignitatem. Tanta nimirum in eo moderationis, & abſtinentiæ laus, tàm præcipua virtutum omnium ſanctitas ineſt, ut & Palatinas Neronum domos, ipſaſque mugientis Aventini ſpecus innocentiæ paſtoralis veſtigio conſecraret.

Hinc pudor in omnes, ac metus detrectandi exemplum illuſtre Pontificis, quem Apoſtolicis moribus, & quotidianæ vitæ inſtitutis, ceu mortali majorem Romana jam pietas intuetur. Et quidem omnium mihi ſuperioris ęvi Pontificum adoranda ſunt nomina; Sed quis adhuc pauperrimus ità ſecum, & reſtrictiſſimi moris author erga ſenſus, deliciaſque mortales, ut in tanto rerum arbitrio, & contermina ſideribus poteſtate nil, niſi curas, labores, continentiam uſurpaverit? Admiſſiones aſſiduæ, breves ſomni, expeditæ, ac parabiles cænæ, veſtium exte-

rior



rior cultus, ut ad insignia, splendoremque dignitatis, sic interiùs omnia ad privati Sacerdotis morem, lacera propemodum, ac detrita.

Levia forsitan hæc, & ad explendas ærarii lacunas exigua frugalitatis momenta; excelsa tamen apostolicæ severitatis exempla, & posteros aliquando Principes oneratura, præsertim qui viderint sacras opes, & Ecclesiæ munera extra corruptelam fędissimi ambitus ad optimum quemque deferri, antiquæ claritatis sobolem gradibus honorum attolli, pretio tamen virtutis, aut intercedente pudore. Meminerint faciles etiam aditus, & invitantia limina, obviam humanitatem, clementiam impetrabilem, & prærogativa quadam calamitatis egestatem humaniùs exceptam. Ingeram plebejas, & illustres domos assiduis sumptibus, & clandestina pietate enutritas, patrios census, avitas opes, quicquid prætereà suppellectilis in veteri, longaque domus opulentia, interque magnæ fortunæ in-

inſtrumenta enitebat, divenditum in pauperes, effuſumque.

Hæc eadem munificentiæ cura non proximas tantùm civitates, atque oppida, velut Colonias Romanæ paupertatis reſpexit, ſed longinquas etiam ſuæ ditionis urbes; quæ etſi terrarum fertilitate, cœlique indulgentia felices, itâ tamen avaritiæ publicanorum obnoxiæ, ut, verſa in votum injuria, ſupra damnum ſterilitatis ubertatem imputarent. Huic tandem calamitati provida ſeveritas Principis occurrit, reſtituto commercio, ac juſſa libertate commeatuum, qui gravioribus antea pœnis intercipiebantur, quàm ſi non ad finitimas, ſociaſque gentes, ſed ultrà Danubii ripas, aut diremptis mare barbaris importarentur. Intelligant ergo bona ſua tot urbium, & agrorum populi, ſciantque alimentis ſuis pari gloria conſuluiſſe Cœlum, & Principem. Inter hæc aſſiduæ pietatis meditamenta, ac civiles, ſacroſque proviſus nec alia quidem defuere, quæ di-

dignitatem Apoſtolici Principatus manifeſtiùs attollunt. Excipere legationes, Senatui frequenter adeſſe, oſtentare ſe populis, ſolemnia ſacrorum exequi, mutuis Principum odiis Chriſtiana conſilia objectare, bella demùm in Barbaros ærarii viribus augere. Mirum videretur, ſi adderem, nullas Principi refectiones, nec alia unquam laxamenta curarum, quam quæ ſolitudo interdum urbanæ ruſticitatis ingereret.

Quirinalis Regiæ latera claudit perpetua hortorum amœnitas. Non alibi manus artificum, ac Principum opes cum ingenio naturæ feliciùs decertant. Inceſſerat tamen ea villicum cura erga ſapientiam, pudoremque Regnantis, ne quid improbum, & ineruditum occurreret. Statuas igitur, & Signa, vana olim Gentilitatis Numina, nunc artis, & luxuriæ prodigia foliorum velamento, & circumducta crinibus, humeriſque odorata florum textura ad modeſtiam temporum, gratiamque operuerat; quæque no-

vis

vis insuper aucta, & emendata mysteriis, insignia domus, nomenque Principis, virtutesque referebant. Cessere in trophæa salutis, & monumenta fidei tot undique buxi, myrtique, quas antea tigres, aquilæ, dracones, ac penè tota furentis Africæ pensilis ira efferabat. Non alia tamen virentis soli species, aut mirabilior, aut gratior, quàm quæ felici cultorum negligentia inhorruerat; nam forte quadam intermistæ vepribus rosæ videbantur in gloriam novi Moysis rubos accendisse. Vicerat studium artis Fortuna, nisi & hanc ultra sagax agricola ingenium protulisset. Meditatus est, peregitque opus, quod innocentia sumptuum, & miræ artis commento non tàm sapientum oculos detineret, quàm moles illa eluderet, quibus Romana olim ingenia superbiæ Cæsarum blandiebantur. Frontem primi aditus, & si multa cedro conspicuam, nobilitabant tamen intextæ cancellatim arundines, quæ in morem arcus porrectæ

fragili nexu firmabantur. Serpebant undique ſmilaces, naſturtia, volvuli, atque aliæ reptiles, & ſolares herbæ, quæ in exitium ſuum aſſurgentes fugaci colorum certamine caducitatis humanæ triumphum ornabant. Et ne quid deeſſet ad gratiam novitatis, tumentes in florem uteri furtiva ſæpè manu tàm eruditè aptabantur, ut prima tacti luce in infulas ſceptra, diademata brevi ſeſe riſu aperirent, & varia inter emblematum coronamenta ludentes, prout dies crevit, decrevitque, rapidiſſimæ vitæ ſpatia umbra, folioque ſignarent. Temporariæ pompæ latera firmabant myrteæ Angelorum imagines, quæ velut in tutelam divinæ amœnitatis, exerto in terrorem gladio, ac penè vultu prophanos arcebant. Hàc iter ſæpè Principi, qui, ut imperii curas leniret, odoratas inter auras circa meridiem ambulabat, & nobiliores ubi àrbores ſylveſtri imitamento ſilentium, umbraſque miniſtrabant, ſedebat ſic ſupra fontem, ut altiſſima
re-

rerum imagine mortalia secum; omnia voluntas ingentem animam cœlo, & sideribus immisceret. His itaque meditamentis actus, cum omnem ultra semitam aliquando oberraret, forte fuit, ut in agricolam, quicquam jam tale sperantem, inciderit; qui opportunè areolarum sępimentis papavera fremens evulserat, ut noxia populo florum, nec alio, quàm authoritate coloris monstranda. Non minori insequebatur odio, cicutas, aconita, napellos, aliaque malignantis soli portenta, quæ forte, casuque amœnitatibus hortorum innata, & alieno statim succo in superbiam enutrita nobiles herbarum fœturas aut magnitudine comprimunt, aut necant amplexu.

At Princeps facunda humanitate villicum excipiens, haud multa de hortensibus, nec imperitè disseruit: deinde Naturæ majestatem miratus, quæ per tot ridentis soli odoramenta sic luserit, producto per artem sermone, sensim ad propria de-

flexit, quæſivitque, quis rerum ſtatus, quæ ſpes Urbis, quid ipſe demùm de Principe, ſeu per alios ſentiret: diſſimulata tamen dignitate, & vultu, quò plura eliceret. Tum villicus pari arte colludens, ratuſque impunè ſibi futurum quicquid ſub hac larva ingenua libertas effunderet: Nimium, inquit, in hoc otio ignaræ ruſticitatis expoſtulas; illos interroga, qui aulico, civilique ingenio curioſi ſcrutari, & carpere cuncta Principum amant. Sed ne rudem, & incomptum hominem averſeris, quicquid in triviis eloqui, aut diſcere cum populo libuit, expediam: Principem ferunt rebus humanis contigiſſe, imperium ſuum, & longa vota Urbis exæquantem, juſtum nempè, inconcuſſum, munificum, contemptorem opum, & Virtuti per omnia ſimillimum. Quàm nova ſtatim Urbi & forma rerum, & facies! Revocata in forum integritas, reſtituta legibus reverentia, omnibus æquitatis, induſtriæ, laudis amor incuſſus, aut ne-

ceſſi-

cessitas imperata. Vivere libet, natum esse non pœnitet. Augustam hanc Principis mentem, & numerosa gloria nobilitatum animum externa etiam, & fortuita commendant. Proceritas corporis, vultus præcipua dignitas, & qualem audacia suæ artis colorum periti Numinibus effingunt. Ad hæc robur virium intactum adhuc, & duraturum, temperantia custode. Ferat tamen ingenui pectoris amabilem contumeliam; nescius fraudum, simulationum expers, ac omnium denique artium ignarus, quas callidissimi imperantium inter præcipua sibi laudum censuere: paratus nempè nimium peccantibus, & aularum insidiis opportunus. Hæsit ad ea Princeps, & urbani sermonis cultum admiratus: Si talia, inquit, agrestium ingenia regnantium animis inservirent, fore jam & aulis suum decus. Alia prosequentem occupavit agricola; & ne mireris, inquit, hoc qualecunque civilis eloquentiæ specimen, peracta

mihi vividior jam ætas in hujus sacræ Urbis obsequio, & regali, ac munifico Hetruriæ genio suffultus, sæpè inter aras amicitiæ cum proceribus illis assedi, qui cum viverent, regnandi artes, momenta, & arcana regnorum eruditè intellexere; quorum admonitu severa studia, & horridas propemodum literas adeò musarum amœnitatibus excolui, ut visus sim Regum, & Pontificum famam felici, ac duraturo labore posteris tradidisse; & ferar nunc inter prima nomina renascentis Arcadiæ. Sed cum nulla ex honesto spes, & præmia virtutis, plerumque apud improbos invidiæ cedendum ratus, agreste otium respexi, in quo felix hortorum incola rideo casus meos, & rastra hæc, & ligones, velut anchoras adeptæ tranquillitatis amplector.

Nec pœnitet Urbem reliquisse; in qua pejora sæpè fovendo, nusquam Fortuna vires suas inclementiùs exercet; creditque pudorem absolvere, si quando in portenti faciem

ciem attollit, qui per falsa imitamenta virtutis Principum animis irrepsere, quive celsioris literaturæ, & civilium disciplinarum ignari per sordidas verborum nundinas otio ignavi laboris consenuere.

At ne videar genio quæsitæ amœnitatis nimium agricolæ affectibus indulsisse, hic rerum status, hæc sollicitudo Principis depulsam urbibus fidem, tunc etiam à villico reposcentis, funestissimam recentis mundi scęnam mortalium oculis revocavit, ostenditque, si unquam, aliàs, tunc sanè nullam homini satis fidam esse fortunam, tutamque majestatem, ubi virtus aliqua sortem mortalitatis egressa invidiam, iramque excitavit. Eversor ille nostræ humanitatis Serpens insidiatus calcaneo Principis, salutem publicam in casum dedit, ut in ejusdem læso femore sanctiorem Eva sponsam opprimeret. Sed nil Viro huic sanctissimo accommodatius ad gloriam, quam supra cœteros Principes etiam casibus ascendisse. Inter

mihi vividior jam ætas in hujus facræ Urbis obsequio, & regali, ac munifico Hetruriæ genio suffultus, sæpè inter aras amicitiæ cum proceribus illis assedi, qui cum viverent, regnandi artes, momenta, & arcana regnorum eruditè intellexere; quorum admonitu severa studia, & horridas propemodum literas adeò musarum amœnitatibus excolui, ut visus sim Regum, & Pontificum famam felici, ac duraturo labore posteris tradidisse; & ferar nunc inter prima nomina renascentis Arcadiæ. Sed cum nullà ex honesto spes, & præmia virtutis, plerumque apud improbos invidiæ cedendum ratus, agreste otium respexi, in quo felix hortorum incola rideo casus meos, & rastra hæc, & ligones, velut anchoras adeptæ tranquillitatis amplector.

Nec pœnitet Urbem reliquisse; in qua pejora sæpè fovendo, nusquam Fortuna vires suas inclementiùs exercet; creditque pudorem absolvere, si quando in portenti faciem

ciem attollit, qui per falſa imitamenta virtutis Principum animis irrepſere, quive celſioris literaturæ, & civilium diſciplinarum ignari per ſordidas verborum nundinas otio ignavi laboris conſenuere.

At ne videar genio quæſitæ amœnitatis nimium agricolæ affectibus indulſiſſe, hic rerum ſtatus, hæc ſollicitudo Principis depulſam urbibus fidem, tunc etiam à villico repoſcentis, funeſtiſſimam recentis mundi ſcęnam mortalium oculis revocavit, oſtenditque, ſi unquam aliàs, tunc ſanè nullam homini ſatis fidam eſſe fortunam, tutamque majeſtatem, ubi virtus aliqua ſortem mortalitatis egreſſa invidiam, iramque excitavit. Everſor ille noſtræ humanitatis Serpens inſidiatus calcaneo Principis, ſalutem publicam in caſum dedit, ut in ejuſdem læſo femore ſanctiorem Eva ſponſam opprimeret. Sed nil Viro huic ſanctiſſimo accommodatius ad gloriam, quam ſupra cæteros Principes etiam caſibus aſcendiſſe. Inter

suorum manus, & lachrymas cubiculum vitæ dubius infertur; ibique novos, velut impetus ad virtutem nactus, primùm ne aulam deterreret, insidens femori malum constantissimè dissimulavit, deinde novas etiam curas in remedium accersens quiescebat interdum, surgebatque rursùs, donec adstrepente pauperum desiderio, & mœrens ipse, vel hoc uno, quòd publicis eorum alloquiis cogeretur abesse, ingenio pietatis suffultus, ac diù ferociter colluctando debilitati suæ cubiculi tandem moras evicit, præbuitque de se spectaculum triste simul, lætumque, & quale profani nunquam, aut sacri annalium conditores memoriæ temporum tradidere. Datum est intueri confectum morbo, ac senio Principem subalaribus fulcris inniti, & suspenso per intervalla poplite triumphales currus, & omnium retrò Principum famam cœlesti gradu anteire, ipsamque regnaturæ posteritatis gloriam occupare.

Sic

Sic igitur, Pontifex sanctissime, affectus hominum, & judicia meruisti, ut non sine pudore, ac lachrymis acclamationes illas exciperes, quas tibi nuper non tàm publici amoris ingenium, quàm tua merita, tuæque virtutes excogitarunt. Nam ut primùm tua, seu potiùs nostra omnium vota soluturus, rediviva propemodum majestate Urbis oculos implevisti, quæ populi alacritas, qui tumultus, quæ laudum effusa sinceritas! Parentes, liberi, sexus omnis, omnis ætas desiderio tui concursare, insequi, anteire, spatia viarum obstruere, atque adeò summitates ædium, & pericula tectorum implere, ut in simulacrum novæ Urbis Urbs Roma penderet. Ut verò sanctiora Vaticani limina miraculum & ipse lachrymarum intrasti, quàm illicò geminata gaudia, redintegrati plausus, aucti gratulantium clamores! Auditæ voces conferentium Te priscis, ac veteribus illis, quibus calcata maria, imperata sydera, coacta elementa,

gloriam, famamque divinitatis adstruxere. Hæc inter gestientis lætitiæ certamina ipse ego arcani amoris impatiens temperare mihi non potui, quin publicis affectibus privata etiam desideria conjungerem. Vive diu Princeps, tuasque ad imperium moras duratura felicitas expiet, donec quiescentibus bellis, & nobilitatis evangelica luce solis utriusque limitibus, emerito tandem Cœlo redoneris, has aras, hæc altaria non ultimum populis Numen aucturus.

DE ELIGENDO SUMMO PONTIFICE

Post obitum

CLEMENTIS IX.

Ad Eminentissimos

S.R.E. CARDINALES

ORATIO II.

Habita in Basilica Vaticana 12. Kal. Jan. Anno M DC LXIX.

Sacro, Augustissimoque

CARDINALIUM SENATUI

Antonius Malagonnellius

Felicitatem.



Elici quodam errore arbitror contigisse, P. E. *quòd cum sæpè, ac palàm in obvios quosq; infelicium musarum labores effuderim, hos tamen argumenti nobilitate insignitos nolens amiserim; ut esset aliquando, quod & alienæ magnitudini, & gloriæ meæ traderetur. Reverita nimirùm est dignitatem vestram Fortuna, quæ insueta mecum agens clementia, noluit pressum diù malis, ingrati etiam erga Vos animi notam subire, ne Sena-*

tus

tus Vestri Numen obsequio meo, & florentis olim ingenii primitiis fraudaret. Hoc igitur *tenuitatis meæ specimen, quod de subrogando Pontifice, apud Vos præbere me posse voluistis, Vobis consecro.* Et *quamvis majestatem vestram Sapientiæ Sacrario enutritam, & fastigio suo humana supergressam vix adiri etiam religione fas sit: non ideò tamen sollicitudine premor, ut quæ Vobis à me dicantur, Vobis digna sint; Quid enim non esse dignum potest, quod vestrum fuit?* Felix *itaque meus hic labor, qui per omnes* Romanæ *gloriæ fines securus sui volitabit, & emensis ævi tenebris, fortasse posterorum sæculis gratior accedet, majestate vestra invidiam longè fascibus suis submovente.*



Eterna hæc Urbs, PP. EE: quæ omnium ferè olim aucta Regnorum cladibus, & suis semper funeribus superstes, & major effulsit, ultrà nunc Pharsaliæ nefas, ultrà Cannarum, Trebiæque fulmen attonita expalluit: & veluti tanta Imperii Moles non jam per intervalla, ac spiramenta temporum, sed uno præsentis fortunæ ictu ceciderit, sitque in communi terrarum Orbis luctu dignitas quædam, & ambitio lacrymarum, de tot mœrentium Urbium Principatu Romana hæc Sion contendit. Verùm ego, cum Vos intueor PP. EE. qui Pietatis gloria, & omnium conspiratione Virtutum, ea tenetis extrema Terrarum, ad quæ non olim arma Cæsarum, nec victrices umquam venere Aquilæ: gratulandum arbitror generi humano non ità stare res nostras, ut unius, quamvis optimi Principis, funere Christianum efferatur Imperium, & Sanctissima

hæc

hæc Respublica è tot mortalium casibus fœliciter emersa unius denique interitu expiret : Circumferte nimirum in Vos invicem oculos, conspicite tot gentium Lumina, tot Religionis Decora, recensete Virtutum merita, quibus Cœlestia Mortales attingitis, præstò erit, quem suffragio, & voluntate vestra dignum, rebus humanis, divinisque præponatis, cujus mentem tantæ Molis capacem reputetis, cui denique, ut secura Regnantium felicitas est, gaudens Orbis obtemperet.

Animadverto PP. EE. plerosque, qui in hisce Comitiorum Sacris disseruere, plurima de peculiaribus studiis, privatisque affectibus attigisse, quæ non tàm suffragii libertatem imminuunt, quàm multa sæpè, & magna Regna everterunt; sed non ea vestra in homines, in Deum merita sunt, ut non potiorem privatis utilitatibus generis humani causam habeatis; nec ego Majestatis vestræ, Virtutisque adeò immemor sum, ut non Animum ve-

strum,

ſtrum, Mentemque exiſtimem tantum ſuprà ſimultates, & odia, alioſque humanæ infirmitatis affectus eminere, quantum cœtera omnia mortalia infrà Veſtram Magnitudinem jacent. Quo fit, ut in quem Virtus Altiſſimi ſuffragia veſtra compulerit, eum vos velle, etiam homines credamus. Diſertè alii, & ſapienter hujus Reipublicæ caſus miſerati flevere laborantes Annona populos, gravatas Vectigalibus Provincias, ſurgentes undique hæreſum Peſtes, exercituum clades, excidia Regnorum, Barbaros denique Italiæ finibus urgentes. Acerba quidem, & miſera, & quæ fateri, vel ipſe dolor nos cogit. Verùm ſi in hoc Sanctiſſimo Terrarum Orbis Comitio altiora quæque Chriſtianæ Reipublicæ nudanda ſunt vulnera, cur non exclamem nihil poſt hominum memoriam flagitioſius; nihilque majori lacrymarum contentione deflendum, quàm quòd in tantum vitia noſtra crevere, ut non magis (loquar libertate doloris)

ut non magis Barbarorum armis, quàm moribus vincamur; Et sanè quid in hoc ruente in deteriora sæculo intentatum, quid intemeratum reliquimus? Non morum pudor, non Legum reverentia, sola voluptas inquinandi honesta, sola colitur utilitatum fides; levia queror, violata Jura, temerata Sacra, agitati carminum atrocitate, vel ipsi Pontificum Cineres; & veluti forte quadam, casuque, aut occulta necessitate humana regantur, sacrique torqueantur Axes, nec ullus Naturæ Parens, vindexque criminum Deus Cœlum insedeat, jam impio Fatorum velamento studiosè peccamus, ipsamque scelerum conscientiam perdidimus. Hinc est, quòd ostendit Dominus virgam indignationis suæ; quòd frustra Christianorum Imperio astiterunt Reges Terræ, & firmatas adeò Potentias Arcuum experimur, ut jam non de proferendis Romanæ Ecclesiæ finibus, sed de Italiæ possessione certemus, pro Aris nostris, focisque, &

pro

pro Templi hujus Sanctuario consistamus. Non est nostrum, PP.EE. æstimare quem supra cœteros homines, aut quibus de causis extuleritis; tamen si in tanto rerum momento ea, quæ sentimus, aperire fas est, ponimus in vota nostra Principem, in quo si non omnes eæ Virtutes eniteant, quas inauguratus Imperio Salomon à Deo obtinuit, redivivam saltem veneremur munificentiam, regiumque in virtutes animum Urbani Octavi; Prudentiam, tenoremque legum Innocentii Decimi; castam, & inconcussam, ipsoque majorem Imperio mentem Alexandri Septimi, & Defuncti nuper Pontificis moderationem, vigilantiam, pietatem. His virtutibus terrestre Dei Solium insedeat, qui veluti ab alto rerum humanarum terras omnes, & maria conjectu mentis perlustrat, Cui non tàm privata, & publica vota, quàm Jura Pacis, Auspicia Bellorum debentur, ad cujus vitæ censuram mortalium diriguntur ingenia, per quem de-

denique agnoſcimus quantum intersit inter Principem, quem homines, & quem Deus conſtituerit.

Alia percurrerem, PP.EE. ſi quid tàm ex alto reperiri unquam poſſet, quod Vobis è ſublimiori Mentis ſpecula longiſſimè intuentibus non occurreret. Quid ergo generis humani injuria Vos moror? Cernite Sanctiſſimam Eccleſiæ Navem inter latrantia hæreſum Monſtra, & blanda Voluptatum pericula laborantem, ac undique minarum ventis, fluctibus bellorum impulſam arbitrio Tempeſtatum pendere: ibi Vota mortalium, ibi publica Salus, & noſtrum omnium navigant Animæ; date ſalutarem gubernaculis Manum, properate ſuffragia, & prudenti judicio Gloriam celeritatis injungite. Approbate gentibus Eccleſiæ Principem, non temerè, & fortuitò, ſed auſpicio Virtutis, & certo Deo creari.

AD CHRISTINAM

Flaminiæ Fines Ingressam

Sub persona Legatorum Reipublicæ Sancti-Marini.

ORATIO III.



ALEXANDRO FALCONERIO

Antonius Malagonnellius

Felicitatem.



Ostquàm integrę mentis elusa spes, & irriti studiorum labores me tandem sapere coegerunt, per sævos malorum fluctus ad hæc littora securitatis enatavi, ut Invidiæ arbitrium effugerem, & Fortunæ regnum exilio meo mulctarem. Non igitur totus interii; sed mitiorem hominibus tempestatem expertus, has musarum opes, quas sinu meo gestavi, & nemini adhuc inscripsi, tibi amicorum optime, tamquam naufragii mei tabulas consecro; Quarum una laudes illius Reipublicæ complectitur, quæ imperii sui angustias innocentia morum, &

Le-

Legum sanctitate insignivit. Funestatur altera casuum atrocitate, tibique insimul & horrorem incutiet, & à pietate tua lacrymas reposcet. Infida ibi omnia, truculenta, dira, & monstris simillima. Miraberis nempè temeratam osculis fidem, conscelerata Pontificum concilia, corrupta judicia, nefarios Reges; ad hæc pollutam auro majestatem Apostolatus, Divinitatem venundatam, & perorante Judicum causa, exemptos pœna latrones, datamque Crucis supplicio Innocentiam. Humanior tamen ultima, quæ militaria inter Helvetiæ *decora, Clementis IX. virtutes leviter attrectans imaginem posteris exhibet gloriosissimi principatus. Leve quidem, & meritis tuis impar munus duraturum fortasse, & quod sæculum nostrum insimulet, & venerationem, studiumq; gratæ posteritatis tibi conciliet. Vale.*


Ajeſtatis tuæ Numen, Regina, toti nuper formidatum Europæ, nunc Italię triumphis, & venerationi noſtræ divinitùs admotum, Marinenſium Populus, per nos ante Te procumbentes, gratulatur: Et niſi dedigneris ruralem Urbem veſtigiis tuis conſecrare, felices penatum anguſtias, & auream pauperis ſæculi Regiam offerimus: ſimulque fortunas noſtras, vitam, & cariorem vita libertatem Imperio tuo ſummittimus, cui & Bruti gloriosè procumberent, & ſua ruerent Catones in vulnera, niſi ſervirent. Deinde gratias agimus, quòd inter tot certantia legationum vota, in eam quoque Rempublicam, quæ ſi cœteris conferatur, vel minima eſt, vel nulla, Regiæ tamen dignitatis faſtigium tàm humanè inclinaſti, ut nemo id umquam ante Te, nemo poſt Te glorioſiùs extulerit. Cujus beneficii magnitudinem, nobis animo reputantibus, obortæ gaudio

lacrymæ officium gratæ vocis usurpant.

Nimium sanè fuerat Sacrarii tui liminibus provolutos, per viliora aulæ mancipia, velut in pretium bene actæ legationis, allevari: Nec erat, quod animis nostris altiori spe blandiremur, vulgi salibus ad jocum traducti: Risus causæ pauper, & rudis cultus, attritæ laboribus manus, & ad venustatem aulæ parùm compta gestatio. Fuere qui palam greges, & aratra objectarent: neque Te ex dignitate facturam, si tot inter legationum seria eam quoque Rempublicam excepisses, quæ vel in tota Orbis Terrarum imagine, nec invenitur, nec quæritur.

Ad quæ rubore suffusi verebamur oculos tollere, & inconsultæ legationis audaciam incusantes, torquebat elusæ Patriæ irritum dedecus. Sed malè nimis de te, divinisque virtutibus tuis meruit, qui profusæ bonitatis Cœlestem indolem humanæ superbiæ limitibus putavit includi. Vereantur modestiæ

tuæ

tuæ censuram, qui parvis initiis ad culmen aliquod adscitæ Majestatis, fortunæ ludo emersere: rari in publico, adiri difficiles, tanquam homines videri indignentur, & jam Divina præsumant. Tu Regnum natalibus merita, & facinorum gloria Principum vulgo exempta, privatæ fortunæ Majestatem immisces, vota mortalium è proximo accipis, nec aliud metuendum Tibi, quàm ne intelligamus, potuisse Te Imperio abdicari, non imperare non potuisse.

Obversaris omnium oculis, omnium animis, ubique regnas, ubique coleris, & ut sidus mundo contrarium iter intendens, vos Augusti Principes, clementiæ gradibus, & moderationis gloria humanam supra sortem ascenditis. (Omnes mihi Reges, & Universam Juris humani Majestatem intueri videor, cum Te, Regina, intueor,) in qua omnium adeò maximorum Ducum, Regumque cumulata Virtus refulget, ut fatorum invidiæ impu-

tandum, si Terrarum Orbis Imperio genita, Arctoæ plagæ confinio termineris. Sed tanta tibi in omnes mansuetudo, tanta indulgentiæ laus, ut & ipsa beneficiis provocata Numina genium tuum adorent. Nam post pacatam Europam, datamque hostibus vel invitis pacem, avito etiam solio descendisti, ut Regnorum contemptu fortunam tuam absolveres, & inaudita magnanimitate fatorum pudori consuleres.

Plura de te volentem, Regina, avertit ab instituto munere Cœlestis verecundia tua, cogitque caritas natalis soli repentina, & minimè præparata oratione vulgi ludibriis occurrere: Non quòd potuisse nos lædi arbitremur insanientis turbæ conviciis, quibus sacer nec Rutilius fuit, nec Cato. Timor est, ne tàm humilis, & indecora de nobis opinio spem hujus legationis eludat, & impatiens desiderio tui Respublica hospitii gloria, & peregrini Numinis aspectu fraudetur. Dabis

ergo

ergo veniam, Regina, si in propulsandis obtrectantium vocibus aurium tuarum clementiam læserim: & amori in Te nostro velim imputes, si cogimur in laudes nostras insanire.

Invidiosum quidem, & frequens Regnorum incendiis, aut aliqua siderum cognatione Urbium origines illustrare. Nos, & si minimè laborandum sit, ut Reipublicæ primordia, ac decus intemeratæ libertatis Cœlo, & Numinibus imputemus, hoc uno tamen omnium supra gloriam assurgimus, quod fortissimos in Te Gothorum Reges velut conditores agnoscimus, & veneramur. Ii namque toto Septentrione innixi, cum sæpè devictis Alpibus, sese Italiæ superfuderint, & Urbes omnes, ipsamque Reginam Urbium ferro, flammisque corruperint, innocentiæ tamen nostræ, aut gloriæ suæ pepercere.

Et ne credamur communem Italiæ cladem securis lacrymis deflevisse, quia viles, aut latebris sylva-

rum obſiti; Mons aſſurgit omnium, qui Flaminiam exaſperant, editiſſimus; verticem hujus nobilitat arx vetuſtiſſima, quæ omnium latè finitimarum gentium viſus amabili terrore fatigat. Nam perpetuis voraginum munita periculis, velut in invidiam ſervientis Italię immiſtum penè Cœlo ſupercilium libertatis oſtentat. A fronte Adriaticum æſtuat mare: inferiora laterum ambiunt læti, cultique colles, qui pari ſpatio per amœnas umbras, & opaca nemorum, in fertiles campos, & florida prata deſinentes, Tempe altera intrantibus aperiunt. Supra clementiam aeris augent loci gratiam ſalubres fontium venæ, perennes rivi, concentus avium, & paſtoralibus tibiis perſonæ valles. Non frugum, non paſcuorum alibi fœlicior ubertas. Laxata meſſibus horrea: greges innumeri: nitentia armenta: varia, & multiplex venatio. Ad hæc miri olearum proventus, lactis præcipuum decus, notiſſima vinetis gloria; tanta denique alvea-

rium

rium frequentia , ut & ingesta rupibus mella naturæ sterilitatem emendent.

Hæ ruris opes, hi collium luxus, non Tarento Pyrrhum, non Capua Annibalem avertissent? Crediderim Reges tuos loci religione tactos abstinuisse ætatis illius reliquiis, in qua homines auri, regnique cupidine intactos à Numinum vita mortalitas sola distinxerat. Videre nimirùm Rempublicam non Ephoris, aut Lycurgo innixam, non innumeris Quiritum sanctionibus laborantem, sed iis naturæ legibus fultam, quibus recentis Mundi incolas in socieratem mutuæ charitatis sacer amor illexit; cum ibi homines non coercitione, aut præmiis: sed sponte justi gloriam innocentiæ custodirent. Fasces, purpura, currus, externæ vocabula luxuriæ; nam per annuas imperii vices inemptis comitiis adepti Rempublicam, non turba procerum, non supercilio fortunæ, sed morum sanctitate, & comitatu virtutum eminebant. Non

gemmæ, non opes in pretio, non ea omnia, in quæ votivus hominum furor consentit: Satis divites, quibus annona frugalitatis consuleret, & intra parvuli ruris angustias æquitas animi Regna faceret, tuti adversus fortunam, & nulla votorum cura felices.

Nec est, quòd nobis invida latret malignitas, & illibatæ posteritatis laudem detrectet. Et quando Urbes nocentior delatorum pestis infedit? Obrepant ii, quos velut candidatos honorum stoicæ severitatis personata modestia feliciùs commendat. Videbunt laboriosam Urbem, frugalem Populum, Curiam innocentem, & in angusta libertatis arce plures Reges. Quicquid in domibus, quicquid in agris habemus, quicquid Civitas suum vocat, parati sumus egerere. Frustra quærent vectigales Provinciarum lacrymas, frustra spolia Numinum, prædasque Templorum. Spectabunt agrestia poma, concretum lac, pecudum vellera, suppellectilem incurio-

riosam, nil denique possessore pretiosius. Possumus, & magno Drusi animo conscientiæ vocem emittere: Domos nostras aliena curiositas intret, & arcanos mores nulla Penatum tutela custodiat. Non avaras feneratorum tabulas deprehendent; non infames Tigellini nundinas, aut lupercalium lasciviam. Stupebunt liberorum innocentiam cultu Numinum, iisque virtutibus enutriri, quibus crescentem Graccorum indolem Cornelia mater excoluit. Mirabuntur custodita pudore coniugia, pulchritudinem castitati simillimam, & quod rarò contigit, honestam paupertatem. Non matronas formæ cura, aut externi cultus recentior gratia sollicitat, non Virgines molli cantu, nec lasciva chorearum vertigine puellares annos incestant: sed inter lanas, ac pensa, de pudicitiæ principatu, judice modestia, contendunt.

Odimus sanè illos, & ultima execratione damnamus, qui curioso in dies otio domos publicas, privatasque

que ſcrutantur, & civilis diſciplinæ præcepta jactantes, Principum aulas inani dicacitate fatigant, ingenia Regum expendunt, fata Populorum diſponunt, conſilia miſcent, arcana produnt, odiis inſurgunt. Sic Magiſtratus, & legationes, quas virtutibus nequeunt, vel quia velociùs putant, ſceleribus emercantur. Nos ad aliena incurioſi, noſtra tantum reſpicimus. Feres tamen, Regina, ingenuum hominem liberiùs aliqua dicentem. Numquam in Urbes divitum ad ſuſtinendas paupertatis impenſas agrorum opes detulimus, quin exhorruerit animus audiſſe tot cædes, furta, venena, libidines, circumventas miſerorum fortunas, violata fidei pignora, empta judicia, venales Curias. Vidimus literarum alumnos, ſapientiæ antiſtites, pudet eloqui, Virtutem ipſam vidimus, per ſuturas laceræ veſtis effulgentem, ante Principum limina precarium ſpiritum ducere; cum intereà, qui pœnalia vincula, ipſaſque propemodum ſecures fœ-

di-

ditate criminum violarent, opibus, gratia, magiſtratibus florent; & ne quid ſæculi derogetur infamiæ, fortaſſe titulis, & ſtatuarum honore poſteritati monſtrabuntur.

Da veniam Patriæ rupis incola ſimplicitas: ſemper gregibus, & aratro damnaberis. Exue candidos mores, habe venalem fidem, venalem ſpiritum, venalem Deum; & cum in tanta vitiorum copia, in tàm ingenioſo peccantium luxu, ſit quædam velut ambitio, ac ſcelerum dignitas; nec niſi adhuc ignota, & inſignia crimina virtutis nomine illuſtrentur: aude aliquid, quo nec turpius antiqua noverint ſæcula, nec futura ætas, quamvis corruptior, inveniat. Tunc repentinis opibus, & Senatu quodam dignitatum florebis: mille tibi nemora armentis mugient, & horreis tuis Italiæ annona pendebit.

Jam pudorem omnem, ac metum vicit delinquentium numerus, & communis vitiorum labes ſæculum nuncupatur: Amiſere autho-

ritàtem leges, dignitatem Senatus, Numina majeſtatem.

Et quando juſtius tonabit Cœlum, & per ultricia decidens fulmina nocentes terras abſumet? Curant profectò, Regina, magnitudinem tuam Numina, quæ tibi ſupra cœteras laudes præſtitere, ut in honorem virtutum ſcelera ipſa diſſimulent, & perditum flagitiis ſæculum ſanctiſſimis moribus tuis abſolvant.

Sentio quàm acri, nec incongruo fortaſſe ſtylo eos præcipuè diſtrinxerim, qui alienis ſaginati fortunis, paupertatem noſtram joculari procacitate laceſſunt. Leniùs tamen agam adverſus ignaros, quàm ſæpè virtutum ſæculis Romani faſces laureato vomeri procubuerint; dum Curii, & Fabricii, aliique Conſulares agricolæ, ſuſpenſo raſtris paludamento, eadem cura ſegetes, qua bella tractabant. Surgebat in meſſem gloriæ triumphali manu ſubacta tellus: nec tàm laborum præmia, quàm victori gentium vil-

lico

lico tributa pendebat. Quare & si minimè apud nos desint qui natalium claritudine, & egregiis disciplinis Rempublicam illuminent; sique tanti ducerent Patriæ libertatis innocentiam deserere, ut sordidæ servituti, & aularum simultatibus celsitudinem animi demittant; næ illi Principum animis certa consilia, & illibatam fidem deferrent, Regum mentem, & oracula loquerentur, & in imperia Populorum, consurgerent; Tamen cum in commune nobis aratra, gregesque exprobrentur, omnes ultro fatemur crimen colonis dictatoribus, ac trabeato sæpè pastore gloriosum. Videor lascivienti Urbium otio facturus invidiam, si rusticæ artis exequi studia, & labores voluerim, quibus ad futuram militaris disciplinæ patientiam durata juventus, statim si bella poscant, in manipulos legionum armata, sulco non fabuloso consurgit. Hæc extruit aggeres, mœnia subruit, vallum tutatur: hujus humeris Regum solicitudi-

nes,

nes, fata Populorum nituntur. Hæc eſt quæ fregit Alpes, clauſit maria, & utrumque Solem pervagata victoriis, Arctoas nives Libiæ arenis triumphali ligone permiſcuit. Non Cæſar, aut Africæ deſtinatum fulmen Scipio, non ingens gloria Regum Macedo, nec Tu pars magna bellorum Chriſtina Terrarum Orbem, vel adhuc pacata concuteres, ſi urbanos tantùm Populos, ſolamque nobilitatis luxuriam armaſſes. Nos Aſſyria Regna, nos ſceptra Medorum protulimus: hæ callo obductæ manus dedere Perſis Imperium, & ſudore noſtro Græcum diadema refulſit. Nos denique Romam impoſuimus mundo, quæ tàm malè triumphis noſtris uſa, ut ſatius ei fuerit paſtoriam Latii Majeſtatem agreſti integritate, & juſtitia bellorum tutari, quàm importunis armis Orbem Terrarum laceſſere, ut vitiis domitarum gentium polluta, mores perderet, & Imperium.

Pari fato cecidiſtis Ilium, Sparta, Athenæ, tuque ingens Italiæ ter-

ror

ror Carthago. E tot magnarum Urbium ruinis, & validissimarum gentium cladibus Venetos lubens exemerim. Sapientissimam Italiæ gentem, &, si Te unam excipias, sanè dignam, quæ bellorum, togæque gloria Terrarum Orbem, aut regat, aut componat: cujus perennitatem Imperii non sibi armorum felicitas vindicat, non Urbs vallo tempestatum præcincta: sed firmata periculis virtus, intemerata Civium fides, Religionis integritas, sanctitas denique Curiæ, in qua pari gloria Cæsares imperant, & obediunt. Hæc delapsa syderibus ancilia, & fatalia pignora Vestalis flammæ, quibus invicta Respublica totius propè mundi viribus adeò suffecit, ut sæpè visa sint Maria, Terræ, Numina velut in partibus militasse.

Non me tàm longè materia blandiens evexit, ut studio libertatis à Te Regina, divertar. Credesne Marinensium Rempublicam, si non Imperio, aut rerum gestarum magni-

gnitudine, certè morum disciplina cuilibet alteri parem repentino civium motu potuisse terreri? Ut primùm stupuere Alpes amicam Arcton, & vultus tui Numen Italiæ votis effulsit, deserta statim arua, gregibus imperata libertas, non larium amor, non charitas Patriæ, non ipsa denique Senatus authoritas valuit, quo minùs laxati in lætitiam omnem Agricolæ ad conspectum tui convolarent. Quamquam & quid vel in Senatu jam firmum, in quo Sapientissimi etiam Civium obsequio tui, & muneris hujus cupidine insanirent? Tunc notus livor, ambitus, æmulatio: irrepsere falsi risus, infida oscula, fallaces blanditiæ, & scænam omnem aulicæ adorationis implevimus. Crederes alium Populum, alium Senatum. Erant qui pretio suffragia tentarent, & ipsas quoque fœminas muneribus exambirent. Jam suspectæ virtutes, & merita amicorum invisa: Non alias unquam urbes blandior inclementia

fa-

fatorum concussit, dum quisque in Patriam excusatus, nec sine laude peccaret. Visum tandem è Republica surgentem seditionem urna comprimi: data certatim nomina; sed ut plerumque evenit, deerrante fortuna ad minus idoneos, sortiti sumus, qui felici parum ingenio, & mediocri literarum tinctura censemur.

Utinam dedisset urna, quorum ingenia Romanis studiis, & insolenti Græciæ opponimus: nil sanè quicquam tanto muneri defuisset, & Civium meorum facundiam inviti etiam laudarent, qui me fortasse, ut incomptum, & agrestem insimulant. Qua nunc arte, quo cultu origines tuas, & avita bellorum decora felix eloquentia revolveret? Quanta annalium fide per altos urbium cineres, per cumulata exercituum funera, per tot sceptrorum strues, & congesta totius propè mundi spolia triumphales Gustavi lauros venerabunda contingeret? Deinde, ut verecundiæ tuæ

tuæ vel damno veritatis indulgeret, innumera laudum argumenta, prætervolans objectasset tibi florentis ævi Virginem, nec tàm armorum luce, quàm circumfusa Majestate radiantem, per obrutos glacie campos, per solidata gelu flumina anteire legionum signa, fugare acies, aperire urbes, ac undique Danis fascibus, & Cæsarum Aquilis insultare. Tunc, Regina, nimis invida virtuti fores, nisi Te libenter agnosceres, & haberent merita tua hoc uno modo par pretium, si te ipsa laudares.

Non hæc, ut viribus ingenii ludam, & modestissimis auribus tuis blandiar: sed ut scias, Rempublicam non adeò literarum expertem, ut minimè possis in ea vim altissimæ mentis exercere, vel saltem otii lenire fastidium. Durant adhuc, & vivaci senecta lucem ingeniis nostris partiuntur, qui quondam Urbinatis Minervæ Sacrarium, & arctatam in eo Principum munificentia Græciam omnem, Latiumque in-

incoluere. Felices ætate vestra patrii senes, quibus contigit ea in aula morum, ac literarum tyrocinia posuisse, in qua non improbitas, assentatio, superbia: sed justitia, pietas, sapientia sacro amicitiæ genio suffultæ, arbitria regnantium moderabantur. Vidistis in tutelam artium, in auxilium virtutis obvios Principes, profusas opes, egesta æraria, quæ portentosis alibi cœnarum novitatibus, quæsitisque voluptatum irritamentis misero adulantium risu exhauriuntur. Utinam Numina illa doloris nostri terris adhuc fatorum invidia servasset; haberes, Regina, qui morum sanctitate, & splendida penatum innocentia dignationem advenæ majestatis meruissent, quique munificentiam tuam, ac regium in virtutes animum venerari, cœleste munus agnoscerent, & tuo vinci gauderent exemplo. Patriis itaque Sapientiæ Doctoribus utimur, nec in dedecus umquam Reipublicæ, & civium nostrorum pudorem externa

terna quæsivimus ingenia, quorum sæpè nomini, pretium facit ipsa longinquitas. Et nescio, an inter studiorum amœnitates severior alibi disciplinarum cultus eniteat. Non ignota nomina Democritus, Thales, Anaxagoras, & si qui alii per nugamenta somniantis Philosophiæ audaciùs deliravere.

Quæ mortalium temeritas? quis furor? Naturæ Majestatem intrare, ortus rerum, progressus, conversiones inquirere, extra mundum per inania deferri, & suam interim naturam negligere: prudentiam, fortitudinem, justitiam, aliaque animi bona ignorare? Quantò satiùs nos ipsos intra nos quærere, tumultus affectuum ratione compescere, munire pectus, adversus fortuita, nullo metu, spe nulla torqueri. Utar, Regina, magnis exemplis, & tuis, quæ calcatis fortunæ sceptris, vastissima mentis Imperia Sapientiæ fræno coerces, & Principum omnium gloriam supergressa, intactum cupiditatibus, invictum ter-

terrore animum supra necessitates erigis, supra fatum ponis.

Rides, Regina, montanum hominem tàm ineptè eruditum. Quid cum audieris agricolas cœlestem curam imperitiæ miscentes, astrorum mores expendere? Non ut anilibus fabulis facilitati Potentum illudant, & sidera in pretium trahant: Sed ut serenos dies, tempestatesque prænoscant, ut certiori fœnore spargant segetes, pomaria conserant, vites custodiant. Miraberis humilioris fati pastores aperire sinum germinantis naturæ, fruticum, herbarumque vires ostendere, simulque hominum incuriam damnare, nimis erga Dei munus ingratam, dum obviis frustra remediis, & calcatis sæpè miraculis, vel ipsa naturæ horridior facies effloreat: cujus beneficio ferales medentium sectas effugimus; qui ut nostris sæpè malis proficiant, tàm variis, quæsitisque cruciatuum experimentis, ordinem sævissimæ curationis extendunt, ut in miserrima

com-

comparatione languentium, felices illi, quos aut negligentia custodit, aut dubiæ artis sedula crudelitas velociùs consumit.

Non provocata exercemus odia, nec alienam invidi fœlicitatem moramur; sed fuge, Regina, avaras terras, fuge littora tempestatibus crudeliora. Quid enim vel urbium pulcherrimæ tàm magnificum, & ingens, quo non & agreste oppidum, Te accedente, superbiat? Vis æquatam nubibus tectorum insaniam? Vis portentosas artificum curas, & mutatos in luxuriam Urbis excisarum Alpium terrores? Sentiat Numen pauperis loci Genius: Laxabuntur in theatra sylvæ, succedent mapalibus templa, & rupes in Capitolia consurgent: Non Ilium, non fabricatæ fabulis Thebæ velociùs steterint. Digna quidem Roma, quæ Tibi, sæculis elaborata miracula ostentet: sed non Tu minus digna, quæ fecisse monstreris.

Crede matribus, crede liberis oppletos colles, crede rupibus hærentem

tem Senatum, & sylvarum fastigia pendulo pastore nutantia. Tota in oculis, tota in votis Respublica, nec tàm reditus nostros, quàm, quid renunciaturi simus, expectat. Et ut facilè amantium desideriis credula spes eblanditur, exornavimus pauperem curiam, & inops undique larium suppellex officiosam urbis vanitatem ostentat. Signa Collegiorum protulimus, & eductis atrio majorum ceris, in partem gaudii, rescissa velut orbitate, mortuorum imagines evocavimus. Non lætiori pompa, aut sincero magis cultu advectum Phrygia Numen Romana Majestas excepit. Sparsæ myrto, sparsæ genistis viæ, & casuris odoratum in imbrem liliis, rosisque oppleti Virginum sinus, cumulata denique canistra floribus, qui nomine Regum inscripti, tanquam adventui tuo proluserint, sponte nostris nascuntur in terris. Colles inde urbanos cultus agrestium studio vincentes. Curvatæ in arcus lauri, detonsæ in statuas buxi: hinc an-

antra, & arundinei lares fronde nova, & serpente in titulos hedera coronantur: ad pudicas illinc amorum fabulas decrescunt in scænam sylvæ: quin etiam longis ordinibus porrectæ vites, vario nexu, & percurrente cannas corymbo, militarem in modum, nec sine quadam venustate efferantnr. Adde currus, trophæa, aliaque bellorum simulacra, per quæ miris arborum flexibus pastorale lusit ingenium. Graviori denique Senatus cura, indicti feriarum dies, instituta certamina, decretumque Tibi genus omne coronamenti, quod Tu pacis artibus, & gloria bellorum meruisti: Et nisi sanior vetaret Religio, jam aras nostras, & Numina augeres.

Non ergo tàm malè de Te meruimus, ut frustra rogeris. Parvam urbem, & humiles domos, magna hospes dignare. Fac locum, quem omnis posteritas visat, & mundus advena procumbens adoret. Sed si, quod refugit animus, invides nobis hanc gloriam, & paupertatis opes de-

dedignaris, time ſaltem Rempublicam contemptum ſui apud Superos, redempturam. Pœnas dabis, Regina, quas nunquam læſi amoris excogitavit ingenium. Deprecabimur ſemper Numina, ut omnes Tibi Terras, omnia Maria, vel renuenti ſubſternant: addantque legem ingratam Tibi, gentibus ſalutarem: Cuncta diu regas Imperia, nulla dones.



O S C U L U M
PRODITIONIS
Sive
Declamatio in Judam
ORATIO IV.

HABITA ROMÆ
In Humoriſtarum Academia.


Ltimum ſæculi dedecus, inexpiabile crimen generis humani, tota judicii cauſa Oſculum proditionis. Ingens equidem, immane, & ſupra fabularum audaciam portentoſum nefas: cui ſi ætatum omnium, omniumque gentium crimina conferantur, tàm proxima erunt innocentiæ, quàm Reus is, quem adduxi, longè abeſt ultra impietatem. Scelus fuit, Judices, quod non ſatis jura vindicent, non rerum vocabula ſatis expediant. Fremuere maria, intremuit tellus, abrupit diem refugus Sol; quin ipſa rerum Natura, novitate doloris attonita, antiquum voluit Chaos, & laxatis Elementorum vinculis, domeſtico pluſquàm funere impalluit. Fidem juſtitiæ, fidem ſeveritatis Judices, ne reorum nocentiſſimo extrà pœnam ſit deliquiſſe ultrà leges. Primùm itaque, Judices, ab affectibus veſtris peto, ne, quòd videtis incomptum, mitem, demiſſum, mores putetis.

Confugit artifex doli ad insidias suas, excogitavit quemadmodum suæ se pœnæ subtraheret, severitatem, ac religionem vestram eluderet. Æquavit supercilio crines, audaciam vultus stoica gravitate confudit, incessum, habitum, totum denique hominem in argumentum innocentiæ diligenti quadam incuria elaboravit. Renova Israel mores tuos, timete & vos Judices, quamvis innocentissimi censuram. Tertius in Palestina, & sanctior Cato, qui effuso nuper à Muliere in Christum unguento, retraxit oculos, & damna paupertatis indoluit. Cæterum animo perfidus, subdolus, avarus, crudelis. Non hunc per anteactæ vitæ crimina deducam: abundè fuerit in noctem unam inquirere. Sed ut quædam velut sacrilega feritatis semina noscantur, altiùs querela repetenda est.

Jam fama divinitatis, & luce miraculorum supra humana effulgentem læta nuper, & in imaginem triumphantis Urbis effusa

CHRI-

CHRISTUM Hierosolyma exceperat. Quæ repentina gaudia, quàm frequens clamor! Plena undique itinera, sparsæ floribus viæ; cuncta honorum reperta, & cumulata, per quæ monstratum Oraculis Numen incederet.

Fremebant interim Sacerdotum Principes, & pari dolore alienas virtutes, ac sua vitia excipientes, impias Christo religiones, & magica sacra objectabant. Nil tamen eorum animos altiùs penetravit, quàm alienata gentium studia, imminutæ quæstuum rationes, & frustrà Sacerdotale fastigium ambitu, largitionibus quæsitum. Utque ira valentior foret, publicæ caussæ in speciem miscebantur; seditionem intendi, desciviſſe jam populum, irrita Cæsarum jura, Urbem Principibus, Templa Diis ablata. Occupanda igitur pericula in commune brevi eruptura: festinandum in eo, quod laudari non poteſt, niſi peractum. Quis credat? immo quis non credat? Ad opprimendam Inno-

centiam emptus Judas; nec turpe, visum iniquissimæ proditionis mercedem solvi, quam Apostolus accipiebat. Immemor itaque, ingratus vilissimæ stationis milites in societatem facinoris adscivit. Post sacra Mensæ, perque innumera sacrorum nominum obstantia pignora hortum Gethsemani ingressus in tesseram proditionis deosculatus est JESUM. Non possum, Judices, audaciam tantæ impietatis adeò dissimulare, ut non publica quadam generis humani voce proclamem: Temerarie, crudelis, quò te furor, & perditæ mentis insana rabies coegit? Non vulgaria obiiciam, accusationum argumenta fraudes, furta, venena: non haustum sanguinem liberorum, non cineres majorum effusos. Innocentior fores si regna, si patriam, si totum denique terrarum orbem furiali manu incendisses. Solvisti vincula charitatis, violasti fœderum sanctitatem, docuisti plus osculo nocere, quàm ferro. Jam suspecti amicorum amplexus,

xus, infida necessitudinum nomina; quid non timet uxor à viro, pater à liberis? Levia queror; vis scire quantum deliqueris? Prosequar inauditæ cædis funestissimum ordinem, & crudum adhuc pectoris nostri vulnus novo vulnere rescindam. Fruere interim osculo tuo, fruere lacrymis nostris.

Revinctis post tergum manibus, squallore obsitus trahitur primò ad Pontifices Deus: accepto, an indito exemplo, ut nefas omne obtentu Religionis inciperet. Ruentibus in deteriora Principibus, & palam Justi sanguinem expetentibus non defuere; qui odio, spe, adulatione corrupti falsa objectarent, & apud virtuti infensos, quò atrociora fingebantur, minori fide, sed majori gratia peccabatur. Jam in atrio iniquitatis deseritur Veritas, & negatur, mox in aulæ conclavi cæditur Sapientia, damnatur Divinitas. Quò aulæ secretiora pervaseris, eò scelestiùs haberi CHRISTUM deprehendes.

Orta demum luce, novissimum malorum fuit clementia Præsidis, qui miseratus Reum, & nullius flagitii compertum dimisit. Deerat hoc vnum repleto monstris sæculo, ut narraretur aliquis alligatus ab amico, solutus à tiranno. Sed quàm inanis, & fluxa potentum fides! Mirabar equidem non eo damnari foro virtutes, in quo vitia proteguntur. Nam redditum sibi à Rege incestuoso CHRISTUM, velut conciliata in excidium Innocentiæ judicum perfidia, truculentior quàm antea excepit; Deinde ostentatione potiùs lenitatis, quàm ut furentium iras tempore ipso molliret, commentus est scelerum intervalla, omni exitio pejora. Jubet expediri virgas, nudari humeros. Alligatur infami saxo libertatis vindex, assertor vitæ, crimen ingratæ civitatis. Nil tale vidimus, nil tale audivimus; peregit pietas, quod crudelitas non imperasset. Tunc humanos excessit fines, & vltra feritatem omnem stetit improbitas; cum,

cum, versa in voluptatem sævitiam, cessit in dedecus imago potentiæ, & Majestatis insignibus lusere carnifices. Lacerum CHRISTI corpus, & nudata verberibus propemodum vitalia ludibrio purpuræ obteguntur; crudele spinarum decus infoditur capiti, & vinculis liventes manus arundinis ignominia gravantur. Quid vltra? obiecto Cæsaris metu, causa judicis fit crimen innocentis. Opprimitur Veritas, calcatur Divinitas, solvitur latro, damnatur Deus. Faciam ferale compendium. Per omne dedecus urbis, per cuncta pęnarum ingenia traductum crucifixerunt eum.

Mirari plerosque vestrum existimo, me usque adeò tàm levibus uti argumentis, ut mortalium nocentissimi crudele factum vix ultra sacrilegium osculi extenderim. Jam vero, si qua est fides, subeat nefarius transfuga totam peractæ cædis querelam, & dum efferatæ Civitatis, ac pessimorum Judicum crimen excuso, patiar lubens invidiam, ho-

minis scelera defendentis. Non illud fuit osculum, Judices, quo invisis plerumque liberis novercalis furor blanditur; fuit quicquid execrationum totius mortalitatis ira contulerat; fuit omnium ferarum, omnium serpentium congesta rabies, qua immemor originis suæ efflavit homo in faciem Dei spiraculum mortis. Abiit illico divini capitis pristinus fulgor, genarum gratiam funereus pallor obnubit, & frontis cœleste decus vacuis luminibus intabuit. *Vidimus illum, & non erat ei aspectus.* Quis vestrum Judices in absumpto calamitatibus homine CHRISTUM agnovisset, quem deseruit Pater, exterriti fugere amici, quem nosse negavere cariores? Quis non pari festinatione judicii reum morti addixisset, in cujus vultu criminum omnium notæ eminerent? anne populus, anne parum ipsi se Judices purgant? In similitudinem reorum adeo immutatus est Deus, ut Matrem de Cruce intuens, quasi oblitus sui, se in
alte-

altero ostentaret. Impij estis, Judices, si damnatis, quibus CHRISTUS ignovit, tamquam quid facerent ignaros.

At ne credatis totum osculo peractum nefas, jam quæritur ab alienis criminibus patrocinium. Romano, inquit, Præsidi innotuit CHRISTUS, & damnatus est. Nisi apud vos loquerer, Judices, nutaret profecto tota moles hodiernæ delationis. Novistis enim Latios mores, & quàm cuncta magistratuum dubia, suspensa; tamquam inclinatura, quò utilitas, ambitio intendat. Testatus est Præses CHRISTI innocentiam; sed verbis in speciem magis adornatis, quàm vt penitus id sentiret; velut inferius majestate sua ratus, si decreta æmulæ potestatis comprobasset. Quàm multis placet illa de dissimilitudine pronunciationis authoritas, & justior videtur diversa sententia!

Quid, inquit, pro patria non licet? Græcorum ducibus gloriæ fuit fraude captum Ilium. Si benè

frau-

fraude evertuntur Urbes, quantò meliùs liberantur. *Seductor erat*. Tentat hominum callidiffimus honefti velamento, invidiam criminis effugere; & imitationem alienę fraudis innocentiam vocat. O quàm non habet nec quid mentiatur, qui fe propè fabularum authoritate defendit. *Seductor erat*. Blandiamur, Judices, tàm impudenti excufationi, & velut ignari, quàm vili mercede gloriofa, quæ jactat, merita corruperit, finamus etiam virtutes in clientelam vitiorum demitti. Nam cum explicari non poffit, ac perfici tàm indignum facinus, nifi turbidæ prius, & inquietæ mentis indicia præcefferint, incufabit fortaffe novas Leges, externa facra, nocturnos Cætus, & eruditione, qua pollet, fœdus adiiciet in morem Romani quondam, ac perfidi civis humano fanguine fancitum. Nefande, facrilege, cur & non tuæ refers argumenta perfidiæ? Advoca propinquos, & adhibe amicos: interroga populos, urbes,

te

te ipsum. Audi, recense quas operata est super terram dextera Domini virtutes; fatearis necesse est, affectatæ dominationis superbiam, hominum crimen esse non Dei, cujus est Orbis, qui regnatur, & Principes, qui regnant; cui famulantur sidera, obediunt maria, serviunt elementa.

Sed si benè artes, & profundæ mentis consilia prospicio, non me fallit, impie, quid captes. Negas in CHRISTO divinitatem. *Demonium habuit*. Appellamus, provocamus à te ad conscientiam tuam; illa CHRISTUM judicet, illa te damnet. Nudentur sanctissima arcana Israel, recense Prophetarum oracula, numera figuras, imagines, aliaque venturi Numinis Sacramenta; Non potes propria non nosse, in alienis eruditus; Deinde ea religione, qua impietatem colis, compone quæ vidisti signa, prodigia, miracula; Manifestum erit non nisi propter CHRISTUM fuisse premonstrata, quę non nisi à CHRI-

STO

STO vidimus adimpleri, conſpirante ſenſu Scripturarum cum ordine temporum, cum exitu rerum. Et quia judicem te volui, teſtem quoq; non recuſo. Vide quantum diuinitatis teſtimonium CHRISTO reddiderit ipſa perverſitas. Scelus, quod ſibi à te futurum prædixerat peregiſti. Quid ergo verbis negas, quod opere comprobaſti? Potes videri fortaſſe hac una ratione defendi, qua & plurimùm urgeris: CHRISTUM nempe populi manibus cecidiſſe, non tuis. Adeone multum intereſt hominem occiderint alii tua cauſa, an tu manibus alienis? Haud abeſt à culpa, cujus tantummodo manus abſunt à ſcelere.

Crede verum dixiſſe de futuris, quos de præteritis non potes probare mentitos? Accipiet Iſrael iniquitatum tuarum mercedem. Repoſcet pœnas ſollicitudo generis humani; Æquabuntur ſolo Urbes, excindentur patria ſacra, & cum coniugibus, parviſque liberis reſpectantes avitum larem migrabunt

bunt reliquiæ gentium. ſine Rege, ſine Deo, per ſordes, & lacrymas fœda vivacitate duraturę. Cui comparabo te infœliciſſima Urbium Jeruſalem? Non Babylonis, aut Ilii muros, non Carthaginis męnia, non Capitolium, non ſi quæ altiùs cadent, contulero. Habebunt iſta gloriæ veſtigium. Tu exilio, ruina, fame mulctaberis; lugebunt conſepultæ cadaveribus civium viæ tuæ; deflebis liberos paſtas matres, & retroactis in cœnam exequiis, cibos ipſa fame pejores. Sola cades in opprobrium gentium, in memoriam ſcelerum, in execrationem ſæculorum.

Tu publicus interim hoſtis, nundinator divinitatis pluſquam paricida vivis? Terras adhuc, cęlumque ſpiritu polluis? Quo uſque dubitabitis, Judices, an per cuncta ſupplicia mori debeat, qui debuit non naſci?

AD

CLEMENTEM IX.

P. O. M.

ORATIO V.

Habita pro Catholicæ Helvetiæ
Legatis.


Am alta P.B. in hoc principatus tui exortu, & tàm numerosa immortalitatis exempla dedisti, ut si hæc non virtutum tnarum magnitudini, sed brevi huic dierum,aut mensium spatio conferrentur, impedirent non modò posteriratis fidem, sed nos etiam felicissimi sæculi velocitatem incusantes, grandævum jam imperium tuum, & ultra ætatem prolatum arbitraremur. Utinam mihi pro voto facundia, & orationis ambitus suppeteret,& non in ipso dicendi limine rerum tuarū luce, tuique vultus majestate perstringerer: Ex animo nunc, instituti mei ratione parumper sæposita, Catholicæ Helvetiæ desiderio parerem, quæ pedibus tuis in argumentum fidei per Oratores provoluta, ut primum aliqua de laudibus tuis dicam, interprete animi vultu cohortatur, & prope nutu me volentem cogit. Jam mihi, neglecta electionis arte, obvium esset istud

tibi

tibi fœlicitatis noſtræ auſpicio inditum nomen, quod & ſi vulgatum, alijſque commune fuerit, Clementia tamen tua, tuus amor ita peculiare tibi, & proprium fecere, ut, niſi à te habuiſſes, à conſcientia noſtra adderetur. Et ſane niſi modeſtiæ tuæ morem gereremus, fatendum eſſet æternam hanc Urbem tantæ numquam ſpectaſſe ſigna Clementiæ, tantarum experimenta virtutum. Nullæ reorum mortes, nullius publicata bona, mulctata libertas: ſed reſerati propemodum carceres, compedes vacuæ, ſoluta vincula pietatis tuæ triumpho viſuntur; tamquam nec tu iratus, nec ſub exemplo tuo nos eſſe mali poſſimus. Salutare hoc nobis, glorioſum tibi, qui cœleſti conſilio nunc efficis, ut hominum crimina coerceat pudor timore validior, & culpæ conſcios ad pęnitentiam revocet impunitas. In eodem genere ponendum eſſet, quod tanta humanitate majeſtatem temperas, ut non tàm preces noſtras facili adi-

tu,

tu,& è proximo accipias, quàm sponte quid optemus, interroges, & ipse tibi suggeras, quæ nos modesta ambitione tacemus. Memoriæ occurrerent levati Urbium status, Provinciarum instauratæ fortunæ, annonæ largitas indulta, nullum vectigal, nisi amoris impositum. Silerem pietatis injuria alimentis tuis egestatem altam, sumptu tuo velatam nuditatem, tot pauperes tua mensa beatos, ægrotantes visos, qui malorum obliti, ad conspectum tui, veluti ad salutis suæ numen flectebantur. Grandia hæc, & quæ tibi gloriam adstruent sive talia futuri principes fecerint, sive non fecerint. Gentilitia tamen, & communia ferè cum tuis, interq; ea, quæ tibi vix laudum titulo adscribas; quem enim cognationis jure attingis, in quo non vultus, non morum similitudine agnoscaris? De Clemente loquerer, si difficillimis terrarum itineribus, & undarum procellis creditos Nepotes referrem; hic ut Regum mentes divino

pie-

pietatis eloquio flecteret, ille ut armis Christiani nominis hostem coerceret. De Clemente loquerer, si principum dextras exponerem nudo caritatis calamo exarmatas, sique in uno Galliarum bellatore fortissimo, quæsitos Orthodoxæ fidei exercitus, cumulatas in Ecclesiam victorias recenserem. Sed quia, ut video, talia dedignaris; ea mihi saltem dixisse fas sit, quæ ipso splendore laudis innotescunt; præsertim cum gloriæ tuæ partem suffragio in te suo sibi vindicet non tàm hæc sacrorum Principum circumfusa Majestas, quam Prædecessoris tui prudentissima mens, quæ huic te purpura inauguravit imperio. Gaudet ab alto, dum de te loquimur Sanctissimus ille Spiritus, & quamvis inter Sidera, crescit adhuc in te Successore, & virtutum tuarum gradibus ascendit.

Ingens quidem gloria tua, sed ipsa moderatione sublimior, & quę Modestiæ velo suppressa, ultra regionum spatia, ac divortia terrarum

rum majori luce erumpit; cujus vibrantibus radiis omnium prima, tanquam Alpibus suis Cœlo propior, Catholica illustratur Helvetia. Hæc in communi exaltationis tuæ gaudio, arcanæ lætitiæ impetum non passa ad Sanctissimos pedes tuos, vt primùm potuit, per Oratores venerabunda properavit. Legavit nimirum Franciscum Pfyffer, Carolum Antonium Puntener, & Franciscum Redinc, totius Helvetiæ decora, & lumina, & Viros, quales pace Curios, & Fabricios fuisse legimus; bello quales Helvetios esse sentimus. Per hos *Sanctitati tuæ, & eidem Sanctæ Sedi defert venerationem, fidelitatem, obedientiam; Teque summum in terris Christi Vicarium, ac universalis Ecclesiæ Pastorem agnoscit*. Verùm ut appareat quantum dignitatis, quantum Religionis,& Fidei huic legationi accedat; Provolvitur hodie pedibus tuis illa Respublica, cui si adderem strata victoriis arva, deletos Ecclesiæ perduellium exercitus, de-

fenſam Italiam, ſervatam hanc inter homines divinitatis Sedem, jam ſcires tàm humiliter procumbentem, non niſi Catholicam Helvetiorum eſſe Rempublicam. Hæc eſt, quæ ſuis indomita viribus, & Sidere rigentis Plagæ armata totam adeo Europam bellorum terrore afflavit, ut conuerſis in ſe gentium legationibus victricem manum Regibus porrigat, regibus neget, utrũque ex imperii ſui majeſtate. In tanta armorum gloria, in tàm alto Fortunæ propemodum commilitantis faſtigio, non ex alio tamen magnitudinem ſuam hæc metitur Reſpublica, quàm quòd ſanctiſſimo pietatis tuę ſinu complexam pedum tuorum oſculo dignaris.

Exultat profectò in tàm alta humilitate Catholica Helvetia, & veluti ſupra gentium ora, ſupra Regum colla per Capitolia feratur, ſibi nunc ſub pedibus tuis auguſtior viſa ſuperbit. Hæc eſt fortiſſima Gens illa, quæ militiæ decus, & Religionis gloriam, res diverſiſſimas duas

ita

ita coniunxit, ut repetito Pontificum testimonio, Ecclesiæ modò Assertores, modò Angeli vocarentur; tamquam si Constantini tempora repetantur, non alijs debeant sacrosancta hæc mœnia, quàm Angelorum expeditionibus custodiri. Et quidem Catholica Helvetia, quos exercituum impetus, quas in Ecclesiam iras non pectore suo, & non par omnibus excepit? Certissima hujus Reipublicæ fides arctis, indefensisque Julii Secundi rebus affulsit; Hæc Arctoam vim, & Orientis arma ab Ecclesia avertit; hæc Paulo Quarto, florentissimo robore militum adfuit, qui mox averso locorum ingenio intercepti, fortes animas pro Ecclesia vovendo Thermopilarum famam, ipsa morte augustiores adæquarunt. Nusquam tamen clariùs, quàm in ipsa Helvetia Catholicæ gentis in Ecclesiam fides enituit, cum divisa in partes ferocissima Regio civile in se ferrum stringeret, & in exitium suum armata, ipsa sibi pretium Religionis,

& merces bellorum efficeretur. Non recen ſebo prȩliorum numerum, irarum cauſas; referam tamen noſtra omnium memoria bellum, in quo, aut numquam aliàs apparuit vera illa Catholicæ Helvetiæ religio, & virtus. Raperſuilam Tigurini obſidione ſtringunt, & extrema caſuum agitantem, reſiſtentem tamen pertinaci oppugnatione quatiunt. Interea ſuburbani incolæ prȩſentis fortunæ vultum ferentes adempta bona, incenſas ædes, violata ſepulcra, ac templa temerata lugent. Occurrunt Catholici, & fœderatæ Urbi inhærentes hoſtes extorquere conantur: Sæpe collata ſigna, commiſſi exercitus, ſed aneeps, & par utrinque diſcrimen, tanquam grande aliquid adſtruentibus fatis; Tandem Bernates quatuordecim millium armatorum numero Tigurinorum arma aucturos fortiſſimæ Catholicorum cohortes, ſed parva manu invadunt: Jam cȩdes, non bellum. Paucorum militum virtuti cedunt hoſtes, & extremum ſpiritum

ritum in admirationem victoris effundentes, documentum gentibus præbent non pro validiori pugnantium numero, sed pro meliore causa stare Deum, militare Victoriam. Strata adhuc Hæreticorum cædibus juga, cruenti adhuc vel ipsi Oratorum enses, & obducta nondum illorum pectoribus victricia vulnera. Quæ cum ita sint, Principum Sanctissime, quales nunc, Te rerum Præside, erga augustissimam hanc, Cęlique Vicariam Sedem futuros Catholicos Helvetios putas? Experiri liceat illorum erga Te fidem. Audimus pia te bella jubere, expeditiones imperare; dextram tuam cernimus ultionis gladio armatam; Ominamur quidem ęternis operibus tuis magnum diem, ipsique hostium casuræ fortunę gloriosum: Sed Catholicis quoque Helvetiis detur sequi tua castra; illis trade labores, trade pericula: Quicquid adhuc sanguinis hostiles non hausere gladii, pro te, pro Deo, patria virtute profundent. Primi, si

jussſeris per Thracios exercitus, per coniuratas acies Christiana vexilla circumferent, primi infida tibi Orientis Regna pectore, armisque aperient. Sentiet Arabs ignotam hyemem, & populi terrarum vltimi, non Oceano, non vel Sole ipſo propugnante ſecuri, Nomen tuum aut formidabunt, aut colent. Nihil eſt, Pater Beatiſſime, quod credere de ſe non poſſit auſpicijs tuis Christiana Virtus.

JOANNI III.

POLONIÆ REGI

INVICTISSIMO

Ob Viennam ab Obſidione
Turcarum Liberatam

ORATIO VI.

Romæ habita.

SERENISS. PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ MEDICEO.

Antonius Malagonnellius

Felicitatem.



Iraris, SERENISS. PRINCEPS, me nullius notæ hominem curas tuas, & altissimarum rerum studia interpellare? Quid si videris has, quas offero, Invictissimi Regis Poloniæ laudes tàm male comptas, & rudi stylo signatas? Diù, fateor, & ipse dubius pependi, an accederem. Animum dabat magnitudo argumenti, in quo locum ingenii occupat ipsa materies; Sed meam omnem verecun-

recun-

recundiam grata mens vicit. Inique nimis agerem, nisi Tibi hac una, qua possum, vice innumera erga me Patrui tui Cardinalis Leopoldi beneficia testarer, cujus cœlestis Anima, quamdiù in terris fuit, me ad principem hanc Mundi Urbem emandatum regia aluit munificentia, & amore plusquam paterno. Utinam spes Sapientissimi Principis de studiis meis non eluserim. Quid ego tui, meique doloris vulnera rescindo? Hæc retuli, ut audaciæ causam agerem, & ut scires hoc qualecumque tenuitatis meæ specimen, hæreditario quodam jure tuum fuisse, antequam traderem.



Ellum evasimus, Principes Eminentissimi, quo ira, numero, immanitate hostium atrocius, nec nostra umquam vidit, nec Patrum superior ætas expavit. Et sanè non magis aliàs in ambiguo Fortunæ, Virtutisque stetere vires, cum, in contraria laborantibus, sub una denuò Viennensium Arce, totius humani generis libertas, aut servitium agitaretur.

Duo nempè validissima Orbis terrarum Imperia, ferro nuper, odiisque exitialibus, in mutuam adeò perniciem exarsere, ut, si rerum momenta expendantur, propior periculo fuerit pars illa, quæ vicit; Et veluti sæva tristissimæ captivitatis caligine demersis, everso statim carcere, inopina salus effulserit, vindices libertatis nostræ ruinas respectamus attoniti, & sustentante catenas animo, securitati nostræ vix credimus. Hæret adhuc menti funesta facies publici metus,

& per anxias noctes, dirosque somnos, miseræ persuasionis errore torquemur:

Obuersatur animo Austriaca Urbium Regina, innumeris circumvallata undique, & impulsa gentibus, quas Oriens barbarus non tàm ab exusta syderibus plaga, aut ab ultima Solis aversi luce, sed ab ipso rerum naturæ defectu, in excidium Europę armavit. Numquam sub una ditione, Arce sub una, tot Populi, nec tàm dissimiles habitu, lingua, moribus, convenere: Immanitate truces, aspectu terribiles, & quibus, præter hominem, nihil moris humani; Non Barbaros crederes. Hinc feralis tubarũ clangor, strepentia æra, Castrorum fremitus, morientium voces. Inde suburbia diruta, incensæ Villæ, temerata templa, & quà visus agi potest, cuncta furiali igne relucentia; Adde catenata Civium agmina, fędatas ludibrio mortes, raptas ad stuprum Virgines, ereptos parentum sinu pueros, adultis contra Patriam viri-

viribus, & ferro non suo reversuros.

Auget metus ira Numinis, prodigiosæ imbrium defectiones, principalium Astrorum sociatæ vires, & ad mutanda Fata Regnorum crinitæ syderum flammæ.

Adeo vivax est calamitatum memoria, Rex Invictissime, ut in hac beatissimorum temporum luce, Teque coram audeamus ea mala reputare, quæ Tu Celesti pietate, & Divina propemodum virtute depulisti. Sed nil Tibi accomodatius ad Gloriam, quàm tristium commemoratione, Tua in nos merita recenseri, quibus in tantum humana supra sortem emines, ut parum grati videremur, si nos cladium nostrarum pœniteret; Angustè nimis potentiam Tuam metitur, qui non & impossibilia de Te credit. Tunc liberi, tunc salvi fuimus, cùm primùm ruenti Imperio fœderatam Victoriis manum devovisti. Tàm velox est Pietas Tua, Rex Invictissime, quocumque exorata bella conver-

vertis; ut ludo quondam ætatis, & futuri laboris tyrocinio, non ocyùs sylvas, montesque venatu lustraveris, Arctoa flumina, furiasque torrentum natatu trans egeris: Quod nuper adeò comprobasti, cum velocissimi syderis more longinqua itinerum emensus, laboranti Austriæ statim occurreres, ut Cęlesti quodam instinctu properantia Christianorum vota prævenisse videaris, & quam precabamur opem, ante præstitisse.

Parum fuerat Magnanimitati Tuæ promissi fidem implevisse, nisi & superasses; Nam altissimæ indolis Filium, & quem unum virtutibus Tuis parem habes, velut Te alterum Tibi junxisti, vt Barbariem innumeram, & quantum sceleris, longa molitione fœderata rebellio congesserat, gemino terrore Majestatis everteres.

Superbiebat fabulosa, & vana Gentilitas, quòd Latiali quondam bello, duo in equis divina specie Milites Romana in parte stetissent,

eos-

eosque velut in pretium victoriæ, Aris, & pulvinaribus consecravit. Non hic morabimur vetustatis memorias, antiquis nova præferemus; Anne, Invicti Principes, vos missa divinitùs Numina piaculo Religionis crediderim, cum id & miraculo victoriæ comprobetis, & Cæsaris in Deum merita testentur? Quod si, Rex Auguste, priscis illis superstitionum sæculis vixisses, neque Te securitati nostræ Suprema Mens reservasset, qua Religione vivum adhuc, quantaque votorum nuncupatione coluisset Antiquitas? Tu Delubra Herculis, Martis ædes, mutato Numine implevisses; Capitolii Templa non ipso Jove minor intrasses; Omnium denique Gentilium Deorum invidia, generi humano consuluisses; Sed quid ego incautus, Modestissimo Principi divina ingero, qui & humana deprecatur? Quæ civium studia, quàm longa Senatus cum verecundia Tua contentio, ut insigne Regium assumeres? Quàm tardè victus Pro-

vinciarum lacrymis paruisti? Magnum quidem hoc, sed cum alijs commune Principibus: Illud est peculiare Tibi, ac Tuum, quod superioribus sæculis gloriam adimit, & magnitudine sua fidem posteritatis impediet; Credent ne futuri, extitisse Principem, qui posthabitis Regni curis, reclamantibus Populis, renuente pignorum charitate, respexerit ad externa,& labentis Austriæ periculo fortunas, vitam, liberos obiectaverit? Non video, quid pulchrius in terris fuerit, magisque Cœlestium oculis dignum, cum Tu difficillimæ expeditionis auspicia sumpturus, ante aram Dei Matris, interque circumstantium lacrymas, posita Corona, versoque in Loricam paludamento, Christi militem indueres. Nemo Diadema tàm gloriosè, cum accipit, quam Tu, cum deponis, meruisti. Et miramur Dei manum his virtutibus provocatam, triumphales tot laureas Regio capiti adiecisse? Quibus liquet bellorum for-

fortunas non tàm asseclas potentiæ, quàm administras esse Pietatis.

Meruerat sanctissima Virtus Cæsaris, ut ad præsidium cadentis Imperii, armatæ ruerent hyemes, pugnarent stipendiaria sydera, staret bellator dies; sed visum est Deo, Rex invictissime, Pietatem Tuam tanta bellorum laude pensare, ut omnem Divinitatis ostentationem, Te pugnante suppresserit; ne libertatem Europæ, incolumitatem Religionis ulli magis, quàm Tibi deberemus; & Gloriam servari Cæsaris, ne ipsum penè Cœlum ambiret.

Quare non sine impulsu quodam Numinis contigisse reor, quòd invictarum Gentium altrix Germania, peregrina, externaque Regum auxilia, precibus exciverit; Eo potissimum tempore, quò si unquam aliàs, tunc sanè fortissimorum Ducum gloria, & numero effloruit: Inter quos grande illud Viennensibus præsidium Fortuna, famaque omnium oculis Ernestum exposuit; qui

vinciarum lacrymis paruisti? Magnum quidem hoc, sed cum alijs commune Principibus: Illud est peculiare Tibi, ac Tuum, quod superioribus sæculis gloriam adimit, & magnitudine sua fidem posteritatis impediet; Credent ne futuri, extitisse Principem, qui posthabitis Regni curis, reclamantibus Populis, renuente pignorum charitate, respexerit ad externa,& labentis Austriæ periculo fortunas, vitam, liberos obiectaverit? Non video, quid pulchrius in terris fuerit, magisque Cœlestium oculis dignum, cum Tu difficillimæ expeditionis auspicia sumpturus, ante aram Dei Matris, interque circumstantium lacrymas, posita Corona, versoque in Loricam paludamento, Christi militem indueres. Nemo Diadema tàm gloriosè, cum accipit, quam Tu, cum deponis, meruisti. Et miramur Dei manum his virtutibus provocatam, triumphales tot laureas Regio capiti adiecisse? Quibus liquet bellorum for-

fortunas non tàm asseclas potentiæ, quàm administras esse Pietatis.

Meruerat sanctissima Virtus Cæsaris, ut ad præsidium cadentis Imperii, armatæ ruerent hyemes, pugnarent stipendiaria sydera, staret bellator dies; sed visum est Deo, Rex invictissime, Pietatem Tuam tanta bellorum laude pensare, ut omnem Divinitatis ostentationem, Te pugnante suppresserit; ne libertatem Europæ, incolumitatem Religionis ulli magis, quàm Tibi deberemus; & Gloriam servari Cæsaris, ne ipsum penè Cœlum ambiret.

Quare non sine impulsu quodam Numinis contigisse reor, quòd invictarum Gentium altrix Germania, peregrina, externaque Regum auxilia, precibus exciverit; Eo potissimum tempore, quo si unquam aliàs, tunc sanè fortissimorum Ducum gloria, & numero effloruit: Inter quos grande illud Viennensibus præsidium Fortuna, famaque omnium oculis Ernestum exposuit; qui

qui Auſtriaci Imperii, rerumque Caput Urbem tanta virtute defendit, ut abeſſe Cæſarem, nec ſenſerint Cives, nec hoſtes crediderint.

Actum erat de validiſſima Urbe, & Chriſtianæ libertatis Arce, quæ forti quamvis milite, firmiſſimis mœnibus, & feroci propugnetur Danubio, præſenti tamen videbatur Fortunæ ceſſura niſi parem periculo Virum mens provida Cæſaris oppoſuiſſet.

Numquam majoribus copiis, & obſtinato magis odio peracta gentium excidia; Nam Barbari Viennenſium Urbem tàm repentino incurſu, & frequentibus præſidiis circumſederant, ut ſublatis commerciis, adempto effugio, finitimæ etiam Regiones, & flumina clauderentur. Juvabant ſpem victoriæ rebellium vires, & noſtræ manus: Immixta namque Thracibus Pannonia, civilia propemodum arma ſtringebat, & ſigna, contra quæ ſteterat, ſequebatur; Quin etiam infelix ſuburbii Populus, & cate-

nati

nati agrorum cultores in Patriam armabantur inviti, ut novo ſacramenti ſcelere ſupra conjugum, ac parentum funera pro ſua ſervitute pugnarent, ipſamque triſtiſſimę calamitatis perderent innocentiam.

Hoſtes itaque partito exercitu, extructis aggeribus, admotis ſimul undique machinis, tormentiſque, portas, vallum, propugnacula, diurnis, nocturniſque impulſibus quatiebant; Productis inde obſidionalibus foſſis, tela, ſaxa, ignes, ac diſſilientes in ſtragem globos vi flammæ jaculabantur, & ſuccenſis ubique cuniculis, Arcem terrore, ruina tentabant. Adverſus hunc belli impetum Erneſtus, everſis jam Municipiis, & longæ pacis operibus, ne uſui hoſtibus forent, ita viros, arma, muros aptaverat, ut oppugnantium vim incredibili virtute repelleret, & noſtrum ſanguinem hoſtili clade penſaret.

Tutabatur Arcem Juventus delecta, & ubi plurimum periculi oſtendebatur, ibi pertinaciori animo ar-

arma, & pectora objectabat; Imbellis etiam sexus, & infirma ætas supra vires corporis, animique assurgens, ministrare propugnatoribus tela, fovere saucios manu, voce, aspectu certantes accendere: Jam non sanguis, non vulnera morabantur, quin oppugnati, & apertis armis, & occultis dolis obviam irent; modò hostium cuniculos transversis excipiebant cuniculis, eluctatis modo præsidiis, in adversas stationes, & munimenta erumpentes, fossas, aggeres, opera cædibus cumulabant: Incerti undique ictus, improvisa funera; Nemo vulnere, nemo facinore inglorius, & quos vires sanguisque desereret, è muris cadere in hostem nitebantur, ut insigniori in Patriam fide, suis etiam cadaveribus pugnarent. Ernestus ipse, qua crebriori impulsu urgebantur mœnia, hortator aderat, & per obvias Cœlo mortes, ac erumpentia terris fulmina, huc illuc volitans, succedebat fessis, laudabat strenuos, retinebat cedentes,

pa-

pavidis denique, ac desperantibus Regem pollicebatur.

Non minori extra Urbem laude Lotharingius Dux Victoriam hostibus inquietabat, Vir, qui supra generis claritudinem, & avita decora egregius ipse, & pacis, belli-que gloria ætatum omnium Ducibus comparandus. Hic arma Cæsaris, & auspicia movens, Arrabonem flumen insederat, sed conantibus vadum Barbaris, & Pannoniæ auxiliis, mutata statim fide, sibi vincentibus, ne tunc nimis impares hostium viribus, periculo suas obiectaret, neve Urbem à tergo desereret, procurrenti bello imparatam, tàm celeri consilio, & felici ratione Viennam receperat copias, ut victoris potiùs, quàm cedentis exercitus speciem præbuerit. Habito confestim delectu, firmataque flore armatorum Arce, cum reliquo milite, tanquam solus timeretur, Danubii ripas, omnemque latè Austriam repentinis incursibus, & auxiliari bello deterrebat.

Ob-

Obſidebat itinera , aggrediebatur hoſtes , occupabat pericula, intercipiebat commeatus, tanta denique arte, manu, fama, præſens, abſens, ubique pugnabat, ut attonita veritate, adverſariis pariter, ac ſuis glorioſum de ſe faceret errorem; cum ipſum Barbari non unum putarent : & crederent Germani, priſcos omnes Lotharingiæ Domus Heroas, in uno poſterorum pro Cæſare militaſſe. Talem nempe fuiſſe oportuit, quem bellicæ laudis prærogativa, & Commilitonis ſui gloria Rex invictiſſimus inſignivit.

Urbs interea diutino labore, & exaggeratis obſidionum malis oppreſſa, atrociorem in dies experiebatur vim hoſtium; Jam rari propugnatores, ſubruta mœnia, deſperata auxilia,polluta omnia odore, ſanie, contactu: Sed nil æquè clauſos fatigabat, quàm arctior annona, creſcenſque omnium inopia. Ad hæc, dubiæ militum vires, ſuſpecti & Civium animi. Erant, qui

tur-

turbidis vocibus, & minaci silentio, vanas spes, & inconsultam resistendi moram Ernesto obiectarent. Lapsis ad extrema rebus, tantus illicò erumpentis cuniculi, simulque ruentis muri fragor accessit, ut non tàm expugnatos sese crederent Cives, quàm funditus eversos. Incertus undique clamor accurrentium, vocitantium, ubique luctus, ruinæ, funera, & jam fortuna captæ Urbis; Nam ea parte, quà strata ruinis mœnia Arcem nudaverant, jam vallum, & propugnacula tenentes Barbari jura Mundi expetebant. Sed quos vix Germania bellatrix, vix fortuna toto Cæsare submovisset, fugavit Dux unus, vetuitque, se gladium stringente, victoriam: Nam inter ruinas, velut alterum pro Cæsare munimentum, è media suorum strage emergens, armatum Orientem intrepidus excipit, ac undique clausus bello, igne, ferro, muralibus fragmentis subeuntes obruit, seque ipsum resistentibus minatur. Represso

presso parumper hostium impetu, conversus ad suos: Electi mecum, inquit, per quorum pectora Europæ libertas petatur, & digni, qui pauci opem Mundo feratis, cur tot vestra inter funera non pudeat inultos vixisse? Sternite cuncta ferro, & cæsorum hostium aggeribus, obsessæ Patriæ ruinas pensate. Nusquam major, certiorque bellorum merces. Quòd si negatum est, laudatore, ac teste Cæsare, sanguinem nostrum fundere, cadamus hoste laudante. Ipsi virtutem mirabuntur Barbari, & invidebunt. Vicimus ò milites; densior jam è conspectu oriens pulvis properantem Sarmatiæ Regem enunciat. Venit, quem post Deum, vota nostra expetebant, quique Urbis nostræ cladem totius Asiæ funeribus expiabit.

Has rerum vices, hunc belli statum Rex Austriam ingressus invenit, ibique primus fuit Urbis liberandæ gradus ad privata descendere: Nam, ne quid moræ saluti publicæ iniiceret invidia, habito statim

tim fœderatorum Principum concilio , amotoque ad tempus splendore fortunæ , Commilitonem se præbuit , ostenditque , se absque patrocinio Majestatis posse Imperia defendere , quæ sola virtute meruerat. Itaque & in certamine modestiæ victor, auctusque Germanorum copijs , per invios, intactosque tramites , occupatis repente Viennensium collibus , in subjectos hostes, velut è Cœlo improvisa Majestatis fulmina intorsit.

Ut primùm Christiana luce fulsere signa , redit oppugnatis animus , nec minori fortitudine redintegrata est propugnatio , quàm si invictissima universę Germanię Virtus solis Viennensium muris includeretur . Pueri , Virgines , Matronæ dignitatis , & periculi oblitæ ostentare è mœnibus gaudia , tendere ad Regem manus , Liberatorem Urbis , Christi militem , Dei Angelum compellare . Fuere , qui neglecto dolore vulnerum , & medentium imperio , hastæ , clypeo-

que innixi retentarent vallum, ut Rege saltem viso, gloriosiùs expirarent.

Divisis copiarum viribus, Rex jubet Germanos concurrere: Non detrectavere pugnam Barbari, quorum ardorem, ac primum belli impetum fortissimi Saxones excepere, qui tamquam pro modo virtutis, fortunæ gradus deberetur, prima in acie constituti, illatis ultrò, acceptisque vulneribus, in vestigio quisque suo, famæque superstites cecidere, haud indigni illius imperio Principis, a quo gloriosissimè ducebantur. Multus & hoc prælio Lotharingius fuit, qui dimisso equo, hastaque è novissimis uni militum detracta, pedes ante signa constitit, & quacumque in parte premi, ac laborare senserat ordines, impigrè aderat, voce, armis, exemplo conspicuus suis, hostibus insignis. Sed ferociores numero Thraces jam catervatim, ac tota belli mole nostros urgebant; cum repente Ernestus in hostium latera

por-

portis erumpens tantam edidit ſtragem, ut opem, quam imploraverat, crederes contuliſſe. Reſtituta acie, æquatiſq; cladibus, ſtabat pro partibus invicta Fortuna. Tum Rex magno, elatoque animo circumequitans ſuos; Domitores, inquit, Aſiæ, deſtinata Barbaris fulmina, en votis exoptata dies: habetis hoſtem, & numerum, quem vinci deceat; Non ignotas acies, novaſque gentes credite; ii ſunt, quos, me Duce, fugatos ſæpe, victoſque in ipſis, nuper caſtris obtriviſtis, à quibus innumeras Urbes, & immenſa Provinciarum ſpatia recuperaſtis, Tyra, Boryſthenes, & hic Danubius, quid aliud ſunt, quàm barbaricæ cladis, & gloriæ veſtræ monumenta? Inter tot egregia decora non in ultimis laudum fuerit vindicaſſe Cæſarem, oppoſuiſſe pectus pro Urbe Roma, quæ vos cœleſti conſilio, & ſacro ærarij cenſu, in ſpem publicæ libertatis armavit. Stringite ergo ferrum, & in communi Orbis terrarum diſcrimine

generi humano fata decernite. Credite Commilitonem Deum; Credite Sanctissimum Senem, Poloniæ signa Quirinali è Cœlo anteire. Deinde filium intuens; Si domestica deessent exempla, illud tibi potissimum Bavari Principis assumerem, qui pari tecum annorum flore, velut stipendiis in ordinem emeritis, ferocem adhuc, maturamque imperiis indolem spirat, & cursum ætatis, famamque futuri Ducis, festinatione virtutum prævertit. Sed cum nostra, quæcumque sint, habeas, sume Patris animum, cui destinatum est, extrema cuncta bellorum malle, quàm Europam intueri Christiano diademate, sacroque paludamento nudatam, triumphi spectaculum fieri. Quod si hac acie moriendum est, moriamur, sed non inulto Cæsare, ac Deo. Sentiat Asia, quàm magni cadamus, & funeri nostro, suæque victoriæ fremens indoleat.

Nil ultra cunctandum ratus, concitato equo, cum omni turmarum ro-

robore in hostem incurrit, & velut immixtum equestri procellę fulmen obstantia quæque rapuit secum, obtrivitque,ac inter densiora pugnans agmina non diu latuit; Nam laxatis repente ordinibus, exhausta interno milite hostium acies grande, & atrox spectaculum aperuit; Arma passim, & spolia, laceri artus, substrata equis Rectorum corpora, assurgentes è strage media cruenti, & nudato in reliquum sanguinem pectore totam mortem deprecantes; dum ille prælio victor, per cęsorum acervos, & palpitantia cadavera, fugientium terga anhelus incurreret,ac omnem latè campum, ferro, pulvere, terrore misceret. Deinde, ne quid magnum sibi deesset ad Gloriam, se quoque victorem superavit: nam obtruncato Prætorii signifero, raptum vexillum proximiori tradens; Fatale, inquit, Byzantii Palladium Romam defer, ibi signa triumphi effulgeant, unde victoria nostra profluxit.

Terrore latiùs dato, Dux ipse

Barbarus equi pernicitate fretus, cladem suam, stratamque rem Asiæ à tergo respectans turpi se fugæ commisit, Victoriam Cæsaris, & Sarmaticæ gloriæ titulos, per infida Orientis Regna vivo monstraturus triumpho.

At Rex prosperis instandum ratus, eversis, direptisque Castris per deserta, & avia fugientes; sparsosque per Castella Barbaros opprimit, & expugnatis præsidiis, receptis Urbibus, turbatis Rebellium foederibus, Pannoniam omnem, aut armis occupat, aut metu; Idque tam mira bellorum felicitate, ut ne totam ferro, ignique victoriam deberet, magna hostium parte vorticibus hausta, ipsi etiam visi sint Amnes Regio meruisse stipendio. Ausa tamen est aliquid circa Regem Fortuna, sed velut de industria, timoris illum nostri, ac periculi moneret. Non ego is sum, Clementissime Princeps, qui curiosus in arcana Regum inquiram: Hæc, quæ cum populo didici, quæ ab amore

more publico profecta sunt, audi. Forti nimis animo discrimina præliorum aggrederis; impavidè nimis densissima hostium agmina irrumpis: Quid iniquiora Tibi deligis, & unus omnia Tibi assumis? Satis grande momentum victorię, si tradas auspicia, & formidatum nomen intentes. Nonne Krimensium exercitus, Te nuper absentę, sub Ducibus tuis ad internecionem cæsi haustum nobis sanguinem refudere, & direptæ Austriæ spolia Arctoa Charybdis evomuit? Tu exercituum anima, Populorum vita, Salus Europæ, noli omnium periculo fortis esse. Anne Divina Tibi Virtus aliqua præsens assistit? An habes cum Deo commune consilium? Non enim est hominis, bella triumphis prævertere, imperare certaminum casibus, & secura Majestate insultare periculis, mortibus occursare. Quod si unicuique nascẽtium tutelaria Numina Mens suprema distribuit, crediderim tibi rebellium stellarum domitorem

Angelum contigisse, veluti ad hoc nato, ut superbum illud, & infame Terrarum sydus ab Oriente divelleres. Finiam hoc omine, & cum necessaria de Te mihi, ac propemodum innumera, damno voluntatis, omittenda sint, arctato etiam Orationis limite, non à Te procul divertar ad Deum.

Te, qui ab altiori syderum luce terrena respicis, & moderaris, quique, ut sævienti Barbarorum armis sæculo Christianum Regem opponeres, Principem hunc tantis naturæ ornamentis præsidiisque cumulasti, quanta non conditio mortalis, aut recepit unquam, aut vidit. Te inquam, publica generis humani voce obtestor, atque precor; Serva munus tuum, custodi Grande terris Depositum, eique ad futuram subacti Orientis gloriam palmam universę Pacis accedat.

INITIA

PRINCIPATUS

INNOCENTII

UNDECIMI

Pontificis Optimi Maximi

ORATIO VII.

EMIN.MO ET REV.MO
PRINCIPI

CARDINALI CYBO


Antonius Malagonellius

Felicitatem.



On tu, PRINCEPS *EMINENTISSIME, præcipuus occurras, cui Orationem meam consecrem, qui adeò in Regno Virtutum præfulges, ut nec diù quærendus fueris ad onera Christiani Imperii levanda? Utinam mihi par voto Pliniani Styli felicitas contigisset, haberet Roma post tot intervalla temporum, quo Novocomensium Urbi vicem excelsæ facundiæ pari gloria referret; Sed*

quamvis ingenium mihi, tantum infra omnem eloquentiæ gloriam jaceat, quantum Virtutes, quas breviter, & cursim signavi, supra sortem humanam eminent; facilè tamen à pudore meo impetravi, ut hoc tibi, qualecumque tenuitatis meæ specimen offerrem; fretus animi tui magnitudine, qua non tam felices, ac victuros, quàm rudes, & informes ingeniorum fœtus humanissimè complecteris; in morem Oceani, qui ingentia flumina eodem excipit sinu, quo inglorias rivuli aquas non dedignatur. Vale.


Eerat hoc unum Romanæ calamitati PP. EE. ut everſis olim Africæ, Aſiæque Regnis invideremus. O felix Ilium, tuque auſpicio meliore condita,& deleta Carthago! Noſtra vobiſcum arma, Græcorumque incendia meliùs egere,quàm creditis; toto namque fatorum impetu ſemel concuſſa in novas amplius non ſurrectura clades, nullis impoſterum obnoxia lacrymis, nec exterorum triumphis iterum damnanda cecidiſtis. Quidquid è veſtra, magnaque fortuna mirata eſt, & amavit Antiquitas, durabit in luce temporum, & fama rerum, quamdiù fides annalium, quamdiù pretium erit mortalium auguſtiora cognoſci.

Una Urbium Roma toties exciſa ferro, funerata cladibus, extincta flammis, ſe tamen malis ſuis ſuperſtitem intuetur attonita: tamquam, nec Imperii finem habitura, nec doloris; & veluti parum fuerit

tot

tot Gentium, ac Regnorum excidiis sæpè adversa parentasse fortunam; devictique Orbis terrarum invidiam domestica sæpè cæde, ferroque civili expiasse, altricem hanc populi principis, Cœlo, & Syderibus cognatam. Urbem ad hoc ævi fata videntur servasse, ut in altissima rerum tranquillitate sæviorem bellis omnibus pacem sentiret.

Date veniam impatientiæ doloris, si profunda vulnera graviori, quàm par erat manu, tentavero. Proh nefas! Non morum pudor, non legum reverentia, prompta audaciæ, prompta flagitio merces; cum interea fœcunda virorum paupertas, per tot humanę calliditatis ambages elusa, emeritum de virtute spiritum contentiosa mendicitate sustentat. quid ultra exequar!

At non ego is sum, qui hac arte principes illos insimulem, quorum memoriam, & sacrą Cinerum revereor. Crediderim res humanas more gurgitis, seu rotæ versari, & per vices temporum virtutes etiam,

&

& vitia, adversis frustra dominantibus, deprimi, & attolli. Damno itaque sæculi mores, defleo fata Regnorum.

Sed si tibi Numina, Principum Sanctissime, non aliud ad imperium iter, quàm per damna nostra decrevere, jam tanta felicitate pensamur te Principe ut nos calamitatum nostrarum non pœniteat. Quid enim, aut tibi majus ad gloriam, aut nobis certius ad salutem, quàm curæ tuę genus humanum committi eo potissimum tempore, quo nemini dubium fuit periturum id omne, quod tuendum non suscepisses? Habuit illico & voti, & amoris sui pretium Christiana Respublica; quam concussam, ac penè ruentem non tu reluctatus, invitusque, sed eius periculo major occurrens, tanta statim virtute firmasti, ut apparuerit aliis Regna tradidisse Principibus Deum, te illi restituisse.

Dignus profectò eras, qui non nisi, supplice Imperio, regnares; meruerant virtutes tuæ, ut recusatæ

etiam

etiam potentiæ gloria insignirentur. Sed remisisti Christianæ Reipublicæ necessitatem hanc verecundię; noluisti decus tantæ majestatis ad preces deprimi; velut accomodatius laudi tuæ, si id per te jam cresceret, antequam acciperes, ut sublimares. Quis adeo moderationis tuæ, simulque nostræ calamitatis ignarus, ut sibi persuasum velit inclinatam te, nutantemque Romanę rei molem ambitione potiùs, privatisque utilitatibus, quàm securitate publica, & amore nostri subiisse? Nec alia ratione crediderim iniectas tibi aliquando ad Imperium moras, quàm ut ingenti experimento de affectibus tuis Principatum ostenderes, antequam imperares.

Anne reniti fas erat, quem vota gentium, Salus publica, & manifestum Numen impelleret? Et quidem Ecclesiæ Principes non humanis cõsilijs, sed Cœlesti suffragio constitui, quando certioribus indiciis comprobatum? Non magis aliàs

in ambiguo ſapientum mentes; numquam fama conſtantiùs elegit. Ferunt Periti ſyderum nullius natalem horam Imperio longiùs abfuiſſe. Sed quid ego imprudens Chaldeorum artem attingo? tamquam iis ſuccenſeam, qui non juxta barbaras gentes, ſed in gremio Religionis, in ſinu fidei audacem curam, & fulmine ultimo plectendam ſyderibus inferunt, nec tàm ortus Pontificum, quàm auſpicia Comitiorum prætentant, in quibus non alia certior futuri Principatus conjectura, quàm mores Candidati. Ii ſanctiſſimo Regum Davidi, & Joſepho Principum caſtiſſimo ad præſagium futuræ magnitudinis effulſere.

Utinam mihi breviter, & curſim dicturo fas eſſet curioſam diligentiam ad incunabula tantæ Majeſtatis convertere, mox teneræ, demum adultæ indolis glorioſiſſima ſpatia percurrere, in quibus manifeſta luce virtus futuri Principis proluſit. Sed jam Romana in Aula robu-

robustam mentem, ac rerum maximarum capacem festinans oratio assequitur. Non est, quod mihi de Principe nostro credatis; Mirati & vos estis illius prudentiam, fidem, humanitatem, fortitudinem, temperantiam; vidistis eundem Magistratibus, Provinciis, ipsa denique jam purpura majorem. Et cui non animum licuisset in arcana futuri absque ministerio syderum immittere, & spes humanas ad ea tempora excitare, quæ nos præsenti felicitate sentimus?

His itaque Virtutum auspiciis propè fortunam hominis egressus, terrestre Dei solium ascendit. Tum delectis, qui peritia Legum, & morum integritate præeminebant, ad præcipua Imperii onera Sanctioris Senatus emendatissimum virum adscivit, & ut multiplicem in virtutibus, ita prudentia, fideque singularem.

Quis credat, Pontifex Sanctissime, mutatas illicò rerum vices, pulsasque temporum calamitates, nisi

& credat fuiſſe tuæ reſervatum gloriæ perditum vitiis ſæculum ingredi, ut Innocentiæ conſecrares? Debemus ſanè hanc tibi fortunam, cujus ad imaginem, & in quantum homini fas eſt per divina ire veſtigia, nos ipſos æmulatione quadam virtutis, & obſequii ambitione formavimus. Nihil enim eſt ad ſuadendum efficacius, quàm exemplar jubentis. Et non luxus, non effrænas cupiditates, non denique conſcientiæ ſuæ numen reformident; qui Regnatricem Aulam, ut Ædem Sanctitatis, Innocentiæ Sacrarium intraverint, quique Principem viderint tanta moderatione, tantaque abſtinentia degentem, quantam non Conſulares agricolæ Curii, & Fabricii, ſed ne ipſi quidem veteres Chriſtianæ ſeveritatis Antiſtites novere?

Emendatos mores inſequuta eſt, pari cura, ærarii reparatio. Redacti ad cenſuram, honeſtique normam ſumptus immodici, largitates inconſultæ; coerciti publicanorum

rum quæstus, conversæ ad levamen Urbium pecuniæ publicæ, administratæ Christiani Orbis rationes, tàm diligenter, quàm propriæ, tàm abstinenter, quàm alienæ. Occurrit hic fratris piissimi Filius; sed tàm dissimilis fortunæ suæ, quàm Principi nostro simillimus, qui majestatem vulgo immiscens exemit Principatu superbiam. Hinc vindicatæ Populorum fortunæ, reparata Provinciarum damna, nec minori gloria posteritati consultum. Scient futuri ita demum affluere publicas opes, si domos Principum continentiæ laus, & morum divitiæ commendent.

Agnoscimus quidem bona nostra, Pontifex Sanctissime, nec feliciorem vllum, aut optavimus, aut sensimus diem, quàm quo primùm per Sacræ viæ frequentiam, inter Populares plausus, & surgentium gaudiorum impetus incedentem te vidimus. Sed liberam audi publici amoris querelam: Dum Arcus, & Statuas, aliaque trium-

phan-

phantium decora tuus respuit pudor, amisit Roma vicem, qua se gratam probaret. Quidquid enim opibus, arte, cura, ingenio valuit, id omne in obsequium tui, cultumque contulerat.

Nunquam gloriosius pictura colorum audacia processerat, quàm iuxta monumentum victoriæ Septimii Cæsaris. Pulchrum nobis, gloriosum tibi, dignum Deo spectaculum. Vidisses effigiem tuam inter Ægyptias Lauros, inter Arabum, & Parthorum exuvias curru modestiæ insidentem, nec tàm de vitiis hominum, quàm de Victoriis Cæsarum triumphantem. Stetissent ante te, non vincti Duces, Regesque, non eversarum Urbium imagines, sed hilares Gratiæ, & vitta pudoris insignitæ; liberi ab ambitu Honores, redemptæ virtutis pretio Dignitates. Auxissent simulacri tui majestatem devinctæ pari nexu, scelerum altrix Avaritia, & virtutum ingrata comes, Ambitio; inde catenatus Furor, Perfidia domita,

coer-

coercitæ Voluptates, frænata Libido, confusæ Hæreses, Impietas subacta.

Haud longè Moles Cæsaris, cui generis humani amor cognomentum indidit; sed nullo recentis pompæ apparatu, nisi veteri, suoque cultu notabilis. Hanc grata Civitas, ut pudori tuo consuleret, simulque in Titum excitaret invidiam, velut comparationi diffidens, de industria omiserat. Nouum sanè triumphi genus, & annalium vetustati incognitum; per quod in experimentum publici affectus, & sinceri judicii Romana fides evocata, supra eblanditos honores, caducasque Cæsaris imagines, vera, & æterna, & quæ in animis hominum tenes, virtutum simulacra extulisset. Non enim Titi mores dehonestamento vitiorum immunes; præbere adhuc Arcus, & victoriæ, & crudelitatis documenta; ad humanos cibos compulsas Urbes; peremptam gladio ætatem, quam ipsa Barbarorum ira custodit; sanctiora

ra Orientis igne, ferroque consumpta, Tyranni mentem arguere, non Principis. Cur non hic auro effigies, statuasque Principi nostro dicatas, qui Romam Annonæ impatientia exemit; qui primus, aut solus avitas opes ærario vectigales effecit; cujus munificentia publica egestas mollitur, castitas Matronarum, & pudor Virginum alitur, qui denique, domesticis fortunis in Deum, & pro Deo refusis, exterorum Provincias pietate devinxit, coegitque Reges ad stipendium amoris?

Sed jam tibi jucundum, mihique facilem transitum exhibent triumphales Principis Arcus, qui primus omnium Cæsarum, lustrato victoriis terrarum ambitu, gloriæ suæ Cœlum ipsum adiecit. Occurrisset oculis tuis Religio eo diademate, eaque sede coruscans, per quæ supra terras omnes felix olim, & beata Patmos inclaruit. Circumfusæ undique virtutes; distinctæ tamen habitu, vultu, ministerio, quarum

duæ,

duæ, ut præfulgentes forma, ita folio propiores; Una criminum vindex, ac Dei fulmine terribilis; composita ad Clementiam altera, redemptæ humanitatis Insigni, & necessario Fidei dedecore ornata. Haud procul revincta oleis Virgo, quæ ferrum Europæ visceribus detractum in Asiam vertisset. Hinc è conspectu Regina infelix Solyma, Urbesq; aliæ è catenis suis ad spem libertatis erectæ; illinc, in omen victoriæ odorata Syriæ nemora, & fertilis palmarum Idume.

Quis me fatentem arguet? Suo præteritum loco Capitolium referatur: Spes illic publica triumphalem tibi currum extruxerat. Adacti jugo Dracones in omen fertilitatis, & ærarii tutelam. Ad modum Aurigæ Pales, ac Ceres, quæ laudum tuarum veritatem, falso licet numine, fatebantur. Numquam manus artifex pretio lapidum fœliciùs respondit. Opus sanè te dignum, & nemini adhuc Regnantium ab industria fortunæ excogitatum.

Adhi-

Adhibita namque clariora Urbis ingenia, diùque titulis insudatum; Jam Optimi, Pii, Maximi, aliaque cognomina mutata sæpius, & deleta, tanquam omne, quod nomini tuo adderetur, ut usurpatum ab aliis, & magnitudine tua inferius, veritas improbaret.

Est tamen aliquid, quo nos demeruerit adulatrix antiquitas; nam cum vocabula omnia virtutũ turpi assentatione, vitiisque Cæsarum polluisset, Sanctissimum Innocentiæ decus intactum, & illibatum posteritati omisit, ut esset aliquando, quo mores, virtutesque Pontificum augustiùs consecrarentur. Hærentes itaque animos, ac desperatam artem juvit sagax consilium: abstinerent incœpto; satis gloriæ Principis consultum, manerent modò vestigia irriti laboris, & elusi ingeniorum conatus.

Veniet ergò tempus, quo & tu, Principum Sanctissime, inter Capitolii Signa, & prisca Urbis miracula monstreris, neglectisque Bruti,

aliorumque imaginibus, tibi uni curiosa posteritas hæreat, legatque marmor nullis titulis plenum. Vive interim annos ultra etiam vota nostra felices, & postquam genus humanum diù te mortalem habuit, ut majorem imperio terrarum Virtus tua Cœlo restituat.

IN FUNERE

CLEMENTIS X.

Pontificis Optimi Maximi

Ad Eminentissimos

S. R. E. CARDINALES

ORATIO VIII.

Habita in Basilica Vaticana
Calend. Augusti 1676.

EMINENTISS. PRINCIPI

CARD. ALTERIO

S. R. E. Camerario.

Antonius Malagonellius

Felicitatem.



Nter tot lugentis Ecclesiæ lacrymas lætor mihi, Princeps Eminentissime, Terrarum Orbem grati animi mei testem contigisse. Quid enim decentius in Urbe Roma, & publicè beneficiis devincto, quàm extinctum Pontificem publicè laudare? Hinc est quod ii, quibus non tàm patriæ, quàm amicitiæ pignore obstringor, me facilè in imperia tua, & ut volentem coegerint. Quare Orationem hanc etsi rudem, tantoque indignam

funere æternitati Nominis tui consecrare sum ausus. Non tamen credas quicquam in ea detractum CLEMENTIS X. virtutibus: Feliciores quàm si virum eloquentissimum invenissent. Plerumque nimirum evenit, ut ingentia virtutum merita, si obscuro, aut parum operi respondente stylo comprimantur, qualia, quantaque sint, manifestiùs emineant, sibique materiam omnium laudum, omnemque campum sibi, vindicent eloquentiæ. Sic olim, ut tota Pompeio pro tumulo staret Ægyptus, fortuna cineres occuluit. Vale.


Cerbo vulneri, Patres Eminentissimi, quo Romana nunc premitur Sion, hoc quoque addidit Fortuna ludibrium, ut qui ultimis Comitiorum Sacris incondita, ac rudi voce Principem designavi, is potissimùm ad hæc Solemnia Pietatis eligar, ut excelsæ facundiæ premio Cinerum Sacra fraudentur. Sed exteri, advenæque Principis decora felix eloquentia commendet: CLEMENTEM X. sua in patria, & apud Vos laudaturus non cura, aut sollicitudine premor, prout parum ingenio, aut nihil valuerim; præsertim quia de tàm grandi mortalis ævi spatio pauca quædam libare, & velut cursim attingere decrevi, cùm pleraque, ne dicam illustriora, non tàm angusto orationis ambitu minimè tentanda, quàm studiosa silentii religione supprimenda censuerim. Parcamus nimirùm sæculi famæ, & pudori temporum consulamus; Nesciant posteri Æmilium

Alterium tandiù ſub avara remunerationis ſterilitate latuiſſe, ut abruptis fortunæ ludo dignitatum gradibus, nonniſi ultimis caſuræ vitæ ſpatiis decus illud Purpuræ obtinuerit, quod vel ſola natalium ſorte, vel propria virtutum luce, florentibus adhuc annis meruerat.

Occurrere laboranti temporum gloriæ Munificentiſſimi Principum Alexander Septimus, Clemens Nonus, quorum primus Æmilium jam ſenem è ſacra Camertium tutela Urbi, votiſque publicis redditum ſplendida Præfectura inſignivit; alter deinde in ſpem Purpuræ, cui deſtinarat, ſacrario cubiculi ſui præfecit.

Anne tali munere, tantoque Principis judicio aliquid ei ſuperbiæ, aut arrogantiæ acceſſit? Experimur quotidie plurimùm in commutandis hominum mentibus aulicas valere dignitates: ſed Æmilio idem tenor modeſtiæ, eadem in amicos fides, in ſupplices pietas: non aſſentatione, non ambitu

can-

candorem animi, morumque innocentiam imminuit. An dubitent, qui ſciant, coniunctam aliquando in Æmilio extitiſſe majeſtatem imperii, & pudoris difficillimam in imperio virtutem? Blandiamur dolori noſtro, PP. EE. & mentem in præterita revocemus. Pulchrum erat Sanctiſſimum intueri Senem, vel incedentem in publico, vel inter ſupplicantium turbas, interque Principum, ac Regum Legatos aulæ officia agitantem, oſtentatione nulla, modeſtia maxima, humanitate ſingulari. Quàm undique ſpectantium voces, vel invidentium laudes, vel amicorum querelæ! Cur tàm ſera virtutibus præmia, cur adhuc ſuſpenſa tot populorum gaudia, & eluſa toties Reginæ Urbium deſideria? Fruſtra toleratas Sarmatiæ hyemes, fruſtra exceptos labores, expetita pericula? Anne parum Mutinæ, & Mediolano pacem reſtituiſſe? ſuſtentaſſe labantem Neapolitani Regni fortunam, plebemque exaſperatam in proceres,

& velut urbe capta sævientem, prudentia, & eloquio lenisse? Addebant Seniores imbutam pietate, ac religione adolescentiam, jùventam propria censura coercitam, & subactis sensibus, eo triumphi genere insignitam, quod vix audet cana sperare modestia.

Abrupit sermones hominum pro vida mens moribundi Pontificis, qui, velut inchoaturus æterna, Æmilium Alterium Purpuratis Principibus addidit, sacroque inauguravit Imperio. Brevi igitur, illato cęlum Pontifice, summi principatus insignia Purpurato nuper Æmilio decreta: non tamen defuere virtutibus spatia exemplorum: Repulsam habuit imperium, & modestiam recusantis precantium ;authoritas vicit. Assumpsit itaque CLEMENS X. generis humani tutelam, & quamvis adhuc integra, vivacique senecta terrestre Solium Divinitatis impleret, altissimæ tamen moderationis exemplo, tantæ se imparem moli, fluxamque senio men-

mentem incuſans optimum quemque Veſtrum in laboris, & conſcientiæ ſuæ partem veritate precum adſcivit, haud ignarus quàm ſubitò regnantium aſſentetur fortunæ corrupta ſpe, metuque libertas, & fides in obſequium ſervile demiſſa, quùm alii callida ſimplicitate, alii per ipſa etiam ſcelera famam integritatis affectantes, ſanctiſſimam Principum mentem blandiſſimè fallant, & expugnent.

Hæc imperii primordia Urbem noſtram ad illas ſpes erexere, quas difficillima Chriſtianæ Reipublicæ tempora, futuræque difficultates expetebant. Non ſanè aliàs exercitatior Europa, magiſque diverſis gentium motibus, fatiſque jactata. Regna, maria, terræ bellis aſpera, Provinciæ ſubita fame diſtrictæ, Urbes incluſo luctante ſpiritu ad excidium uſque commotæ. Sed nil accommodatiùs gloriæ Pontificis, quàm ſacras rerum habenas eo potiſſimùm tempore moderari, quo adverſa ideò viſa ſunt naſci, ut vir-

tuti cederent Imperantis?

Superbiebat, Cretensibus nuper devictis, infida gens Thracum, & nostris illa discordiis in tantum elata, ut Sarmatiæ populos intestinis tunc odiis furentes toto fortunæ strepitu invaderet, & expugnatis arcibus, Regni sedem libero jam Marte tentasset, nisi CLEMENS X. Vicariam Dei manum fulmine armatam in Barbaros Quirinali è cœlo exeruisset. Discussæ statim Furiarum sinu civilis discordiæ faces, excitatæ ferocissimi Regni vindices iræ, repressi hostes; temerariæ eruptionis pœnas adeò daturi, ut posteà cladis argumenta fuerint, deleta penitus castra, oppleti cadaveribus campi, & rapidissima cæde retardata flumina, quæ velut in partem gloriæ, nunquam altiori alveo Sarmatica intumuere victoria.

Avertit animum, & à longinquis regionibus digredi, aliasque exterarum gentium clades præterire nostra cogit Italia. Hæc valido nu-

nuper bellorum initio correpta verebatur, propriis erudita damnis, ne, si diutiùs armorum illud aleretur incendium, igni etiam non suo succumberet. Occurrit periculo providentissimus CLEMENS,& eadem virtute, qua legimus revoluta flumina, calcata maria, coacta elementa, surgentes irarum flammas restinxit, & erupturos in fulmina bellorum turbines subita pacis serenitate disiecit.

Sed funesta tot armis tempora, repetitis motu terræ cladibus, ipsa etiam Natura insignivit: Compressæ namque memorabili ruina illustrium provinciarum celebres urbes, inter quas, haud iniuria sibi vindicat miseriarum prærogativam communis amor Italiæ, tunc publicus dolor Ariminum, cui tanto impetu scelus illud terrarum incubuit, ut non sexus, non ætas periculo vacua, non ipsa Templorum tuta Divinitas: eversæ domus, stratæ funeribus viæ, una undique fœdæ urbis lacrymabilis facies. Vide-

derunt eam Romanæ Providentiæ oculi, & fleverunt illam; ac ne longiùs atrocitas mali sæviret, publicis, privatisque casibus Principis ærario subventum. Ingens quidem Roma, & Orbe quondam tributario felix, nunquam tamen felicior, celsiorque, quàm cum subjectæ Civitatis miseriis vectigalem se fecerit.

Damna damnis continuata occurrunt: Sequuta est inopina fames, quæ contermina regna, vicinasque provincias, & suburbanos aggressa incolas, ad hæc usque sacra mœnia processit. Vidimus infelices agricolas cum coniugibus, parvisque liberis per finitimos saltus, & proxima rura reptantes carpere arbusta, radices herbarum vellere, & ea fami obiectare, quæ imperiosa necessitas cogebat. Non fuere hæc vitia terrarum, non fallacis anni incusavimus fidem; nec sulcis difficili cęlo sitientibus citra conatum sata periere; nec tenera spicarum primordia, aut grave sidus afla-

flavit ; aut inclementia imbrium, ventorumque decussit. Cur dissimulem? Homo hominem decepit, & suæ consortem naturæ quæstuosa mora fraudavit: Quis credat! Avaritia annum perdidimus,& de ubertate miseri fuimus. In tanta periclitantium querela CLEMENS laxavit annonam, sibique debitorem Deum sacro pietatis fœnore obstrinxit. Noluit horrea in spem calamitatum referta ad levamen egestatis recludi, & contactu sacrilegę messis inopum ora fœdari: Innocentiora nimirùm frumenta subitæ providentiæ Principis infidæ misere Provinciæ; & ante patrias divitum fores miseram. egentium famem peregrina seges explevit.

Anne obliti sumus, ut publica nuper fames Urbe sacra abstinuerit? Crediderim istud non tàm humanæ providentiæ, quàm Famis elusæ beneficium. Nam ad sanctissima sæpe jejunia, pauperesque Principis mensas accita, facilè Romanam plebem ultima laborantem

ino-

inopia reputavit. Et sanè tanta fuit in extincto Pontifice abstinentiæ laus, ut in se, genialibus etiam mensis, antiquam Æmilii censuram renovaret. Quid ergo cœnis tuis morum populatrix luxuria superbis, velut pretio triumphorum paratis? Mutasti vices annorum, vertisti in gloriam gulæ non tantùm aves fabuloso terrore tutas, aut quęsita naufragiis ostrea, sed margaritas ipsas, vel cœlo minante conceptas. Datum est sęculo nostro pulchrius, rariusque spectaculum: Vidimus Principem Maximum, & in excelso generis humani fastigio positum, inter affluentes Orbis Terrarum delicias, tenui, proximoque ad inopiam cibo contentum, regale corpus ad extrema Christianæ severitatis exempla demittere.

Et mirabamur nocturnis etiam horis cælestia meditantem, qui tàm longè a terrenis abesset? Solemne quidem CLEMENTI fuit ante lucem surgere, & in splendore Domini ambulare, eique non tàm Imperii,

rii, quàm arcana conſcientię committere. Fecere hoc idem Scipio, & Numa, ſed alia mente fecere; hic ut religionem incuteret, ille ut ſimularet. Adoravit Deum in diluculo CLEMENS, non ad metum populi, non ad famam ſui, ſed quia religioſiùs Deum tunc adiri cognovit.

Longum eſſet in tanto Principe ſingulas recenſere virtutes, niſi leviter attingi placeat, benignitate, & clementia temperatum imperium, datas oblivioni iniurias, amicitiam, nomen antea privatum, Purpura inſignitam, editas populo voluptates innocuas, at inania ſpectaculorum, eo potiſſimum loci, ubi Religio cladibus ſuis major effulſit, conſtantiſſimè denegata, ne arenam cæde adhuc noſtra calentem, ſacratumque Fidei campum ferarum cruor pollueret. Penè omiſeram novo demiſſum Mundo ſanctitatis lumen,& plurima Divorum conſecratione, Sideribus familiares jam terras. Mirum videretur ſi ad-

adderem Romana jura postliminio quodam sacræ libertatis asserta: Virtutem nostro propemodum Orbe divisam Vaticano jam Cęlo coniunctam: datam denique mortalibus Sanctioris Anni Beatissimam lucem, & faces tot irarum, ac bellorum pacifica manu tentatas.

Hactenus de Principe, sed tanquam de homine. Quid si illum mortali vita excedentem, ac velut cęlesti religione consecrandum, humanis jam rebus majorem ostendam, agentemque perpetuam de imperio, de sæculis censuram? Sed intactum istud majori curæ, & feliciori ingenio relinquam. O Mentem cęlo ipso unde descenderas, & quò rediisti dignissimam! Verebar, Pontifex Sanctissime, voce mortali compellare cęlestia, sed quum laudibus tuis Romanum vulnus ad impatientiam doloris exasperaverim, liceat Patriæ tuæ spes ultimas, liceat nostra in te vota aperire. Non ingrata, non petimus nova, Romam tuam tibi committimus, cu-

ram

ram etiam Superis nobilem. Quod si, ut humanam dedignaris hanc gloriam, tuo ſaltem auſpicio Sacra firmentur Comitia, monſtreſque de Cœlo Principem, cuius humeris Chriſtianum ſecurè nitatur Imperium, quique Romanæ Religionis vinculo Orientem, Occidentemque connectat, cui denique, rara Principum felicitate lętetur Orbis, & pareat.

IN FUNERE
CHRISTINÆ
Gothorum , Vandalorum , ac Svecorum
REGINÆ
ORATIO IX.

ALEXANDRO
OCTAVO
Pontifici Optimo Maximo.

Antonius Malagonnellius

Vitam, & felicitatem.



Umine factum arbitror, P.B. quòd inter principatus tui exordia Regiæ Virginis facta, moresque compendiaria oratione signaverim, ut nobilitante ingenium materia, dignum Tibi aliquod magnitudine tua consecrarem. Quid enim aut ego majus dare, aut Tu carius accipere potes, quàm laudes Augustæ illius Feminæ, quæ virtutes tuas sin-

ſingulariter adeo mirata eſt, & dilexit, ut futuram in Te Majeſtatem imperii ſecretò, & palam revereretur, amore præcurrente? Utinam Chriſtina felicitatem hanc noſtram longiori vita cumulaſſet: Qui nunc plauſus, quæ ſincera gaudia? Te bellorum, & pacis Arbitrum, Normam Principum, Parentem publicum, & glorioſam judicii ſui prolem nuncuparet. Quare certiſſimam in ſpem adducor, me facilè impetraturum, ut ab alto curarum informem hanc officioſæ pietatis imaginem libenter, nec ſemel aſpicias: Et ſi regias inter laudes, tuas etiam vel invitus agnoveris.



N tanta sæculi felicitate, in qua si unquam aliàs, nunc sanè bellorum gloria Europæ virtus effulsit, credideram suas etiam vires Romanæ Pietati subdidisse fortunam; &, positis in tuto Christianorum rebus, cœleste nobiscum fœdus exorata tandem Numina iniisse. O vanæ hominum figurationes, ò vota mortalium alto errore confusa! Mutavit illico rerum vices fortuna, & muneribus suis fęnore calamitatum corruptis, pulcherrimam Europæ faciem repentino pallore confudit. Strata Classibus maria, mota Batavorum Arma, minaces Galliæ, irritata Germania, Regum fugæ, amissa Britannia: & ne quid sacrum esset, & intactum, nos quoque in hac arce securitatis tàm gravi premimur vulnere, ut in contentione calamitatum vincamus aliorum miserias; & cogatur Roma, consumpta novitate, Regum funeribus illacrymari.

CHRISTINA Sceptrorum Decus, Ornamentum Europæ, orbis terrarum amor, & Religionis grande sidus, occubuit. Ubi sunt, qui carissimorum pignorum mortes vetant lugere, & ingentium virorum præceptis, exemplisque miseram premunt orbitatem? Quæ gens, quænam ætas adeò fęlix, ac dives, ut tantum amitteret? Nullis adhuc humanorum pectorum affectibus tàm grande vulnus inflictum, tàm immedicabile, nec ulla Sapientum manu tractandum, quàm quo feralis hæc dies vitalia nostra collisit. Cumulentur licèt Scipionum, & Camillorum funera; conjunctos rogo Cæsares, & Catones communis flamma comburat, omnium denique Græcorum cineres, quos vana superstitio sideribus intulit, unius urnæ pompa componat, non minori tamen damno ætatum omnium lacrymæ parentarent. Felices illi, qui clades suas nunciantibus credunt. Sub oculis nostris Fata nostra desæviunt, & cogimur regios in-

inter cineres fulmen ipsum, quo petimur, venerari. Tamen ne mihi quisquam infelicitate se conferat, excogitavit publica contra me pietas quid calamitati posset accedere, & ultimum esset in miseris. Unus nempè in tanta lugentium turba sistere lacrymas jubeor, singultus premere, & velut obligato vulnere, ordinare dolorem, & loqui.

Sed vicem nostræ mediocritatis subeant tot circumfusæ publici luctus imagines, & prima sibi doloris argumenta, prærogativâ quadam ærumnarum, Paupertas usurpet. Erumpe infelix, incompta crinibus, laniata vultu, & inter vani gemitus irritamenta deosculare augustos cineres, & Regiam Urnam amplectere. Jam frustra in sinu tuo liberi plorant, frustra matronarum cubilia, sacraria virginum domesticæ inopiæ damna lamentantur. Non ætas, non sexus, non ordo, in quo votis tuis sollicita Christinæ pietas non indulserit, non occursaverit fortunæ, non casibus intercesserit.

Intravit tecta nobilium, subiit plebejas ædes, non horruit fœdatas contagione domos, aut profundas carcerum noctes; & assidua malorum colluctatione languentibus insperatum velut aliquod, & salutare Numen effulsit. Indue misera pristinas sordes, & per limina divitum, & gradus templorum effusa, imple Urbis oculos spectaculo calamitatum. Nil licet ambitu, lacrymis, squallore profeceris: contempserint licet vota tua, & longa difficultatum arte potentes eluserint; præstabunt tamen triste solatium pari fato egestatis sociatæ Virtutes. Quæ etsi adversa adhuc omnia forti, paratoque exciperent animo, ita tamen præsentis fortunæ fulmine afflantur, ut exhaustis illico lacrymarum fontibus, ipsa etiam doloris indicia perdiderint; & quamvis dignitatem perculsæ mentis jacturæ magnitudo sustentet, torquentur adhuc etiam præteritorum memoria, metuque imminentium; velut recursuræ infesta sibi olim, & sæva

tem-

tempora, quibus extorres, ac nudæ, & genua occurrentium amplexantes, patiebantur acerbam hanc tristissimæ conditionis novitatem, ut earum quisque miseriis, nec sine laude, indoleret, nemo auxiliaretur; cum prævalida in urbibus, & in aulis vitia, occupatis meritorum præmiis artes, & studia formidine honesti repellerent, & Principum animi inertes plerumque, & ignari privatis consulentium affectibus miserrimè inservirent. Sed caliginem hanc humanis mentibus altissimè obductam discussit Arctoi sideris felix exortus, qui Virtutibus profugis, & longo tempestatum estu jactatis, aureum Munificentiæ littus aperuit: quò tandem appulsæ, & velut ab alto securitatis emensa pericula respectantes, agebant fortunæ gratias, profitebantur plurimùm debere se fatis, per quorum injurias felicitas tanta contigisset. Et ne deessent regiam erga Hospitem duratura grati pectoris argumenta, erexere arcus, & statuas, aliaq; por-

tentosi operis superba fastigia; quæ tamen Christinæ titulis aucta, perderent audaciæ pretium, Arte gaudente: Iisque insuper visum, si quid eniti valeant facundiæ vires, annalium labor, & sacra vatum ingenia, æternitati rerum, vel invitam inseri, & gloriam, famamque temporum tanto nomine insigniri.

At ne videar integritatem Oratoriæ fidei fabuloso cultu polluere, quis umquam expulsis artibus, & emortuis propemodum literis uberiori indulgentia, & certiori securitate prospexit? Quis ad levamen, cultumque sapientiæ tot opes exhausit, tàm immensa egessit æraria, hilaris, gratias agens, & velut suo ditaretur dispendio? Commendaret aliquem felicitas carminum, aut exculta fides annalium; præstaret aliquis bellica laude, aut studio pacis emineret; omnes honore, opibus, gratia, & regio honestabantur judicio. Vendicavere sibi hanc alii Principes gloriam; sed non eamdem propriis astruxere vir-

tuti-

tutibus. Una ad hoc ævi Principum omnium Christina supra cœlestes animi dotes, & præcipua ornamenta naturæ, pulcherrimis studiis, & altioribus disciplinis tanta sibi ingenii præsidia congesserat, quanta unquam in alios, nec superior ætas, nec ventura diffuderit.

Possem videri fortasse plurimùm gratiæ, & obsequio tribuisse, nisi loquerer apud vos altissimæ illius, & propemodum divinæ indolis admiratores, ac testes; & quibus præcipue mira studiorum cupiditas; incredibilis memoria, & acre in subitis ingenium eluxit. Quid enim sapientiæ sacrario tàm abditum, ut non statim sciverit, statim docuerit? Quid annalium vetustate tàm obsitum, linguarum, gentium, locorum tàm multiplici varietate confusum, quod non adeò præsenti memoria percurreret, ut eam pene credideritis, & ubique natam, & omnibus retro sæculis interfuisse? Quas philosophantium sectas non sublimitate mentis, non

animi magnitudine, non morum, sanctitate antecessit? Ipse ego, cujus mediocritas regio quandoque aditu illustrata est, motus rerum, causasque fortuito sermone exequentem audivi: Tunc planè novi, quę rerum initia, & quanta formarum varietate signentur, quæ ratio mersa, & confusa diduxerit, undè sidera, eorumque labor, & quem in exitum festinata velocitate rapiantur. Quæ mihi, atque alia domesticus ille cœlestium interpres animus tanta luce orationis aperuit, ut visus sim concilio Numinum insedisse, & fruar nunc amabili quorumdam errore, nil aliud scientiam esse opinantium, quam reminisci.

Augebat auctoritatem loquentis sidereus oculorum fulgor, & augusti pudoris ingenitum decus, quo nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referebat. Sæpe nimirum professa est studiis suis debuisse, quòd non animum secunda extollerent, non minuerent adversa, quòd pulsa errorum caligine,

ad

ad veritatem Romanæ lucis emerserit; quòd denique, ut de se dignum aliquod Deo voveret, opes, honores, Regna, liberos, & duraturam in posteris Majestatem Virginitati donaverit. Credentne futuri tàm altè umquam in fœmina Sapientiæ gloriam ascendisse? Quid cum noverint puellares hanc annos, & quibus potissimum ingentia virtutum semina disciplinarum ope enituntur, inter impeditissima curis tempora exegisse? Erepto namque terris fortissimo Regum Patre, non alia umquam otia mentis præsensit, quàm quæ, fraudatis somno noctibus, studiis suis vindicasset. Pulchrum erat, novumque fœminam Principem ortu quotidie lucis ad publica munia consurgere, & venustate quadam eruditi palloris excultam affluentes undique legationes excipere, dare jura, sancire fœdera; deinde per Civium plausus, & studia vulgi Curiam ingredi, lustrare exercitus, immensum deniq; ac multiplex Regni corpus una-

animi magnitudine, non morum, sanctitate antecessit? Ipse ego, cujus mediocritas regio quandoque aditu illustrata est, motus rerum, causasque fortuito sermone exequentem audivi: Tunc planè novi, quę rerum initia, & quanta formarum varietate signentur, quæ ratio mersa, & confusa diduxerit, undè sidera, eorumque labor, & quem in exitum festinata velocitate rapiantur. Quæ mihi, atque alia domesticus ille cœlestium interpres animus tanta luce orationis aperuit, ut visus sim concilio Numinum insedisse, & fruar nunc amabili quorumdam errore, nil aliud scientiam esse opinantium, quam reminisci.

Augebat auctoritatem loquentis sidereus oculorum fulgor, & augusti pudoris ingenitum decus, quo nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referebat. Sæpe nimirum professa est studiis suis debuisse, quòd non animum secunda extollerent, non minuerent adversa, qnòd pulsa errorum caligine,

ad

ad veritatem Romanæ lucis emerserit; quòd denique, ut de se dignum aliquod Deo voveret, opes, honores, Regna, liberos, & duraturam in posteris Majestatem Virginitati donaverit. Credentne futuri tàm altè umquam in fœmina Sapientiæ gloriam ascendisse? Quid cum noverint puellares hanc annos, & quibus potissimum ingentia virtutum semina disciplinarum ope enituntur, inter impeditissima curis tempora exegisse? Erepto namque terris fortissimo Regum Patre, non alia umquam otia mentis præsensit, quàm quæ, fraudatis somno noctibus, studiis suis vindicasset. Pulchrum erat, novumque fœminam Principem ortu quotidie lucis ad publica munia consurgere, & venustate quadam eruditi palloris excultam affluentes undique legationes excipere, dare jura, sancire fœdera; deinde per Civium plausus, & studia vulgi Curiam ingredi, lustrare exercitus, immensum deniq; ac multiplex Regni corpus una-

mente animare. Quæ Ducum au-
ctoritas, quæ Militum verecundia? Quanta Popul is Fides, Magistratibus integritas, Majestas Senatui? Et quando securior quies, felicior industria, censura validior, cum Urbes, & Castra regio firmarentur exemplo?

Nequit animus in tàm grandi argumento fęminarum, quamvis illustrium, exempla conferre. Et quę sui tàm custos temporis, suæque tàm negligens formæ, ut non potiorem vitæ partem inter ancillarum manus, & speculi moras exegerit? Pudet exequi inanes tot curas, & lascivientis otii labores, ut niteat facies, ut crinis arctetur in annulos, aut per colla, sinusque elaborata simplicitate laxetur. Christina cultu modica, virisque propior, nec alio quàm pudicitia sexum asserens, omne temporis spatium, momentum omne æternitati sacravit. Non enim labentem curis animum inerti luxu, & prodigis voluptatibus, sed labore corporis, variaque bellorum ima-

imagine allevabat. Ludus fuit obsidere saltus, occursare feris, turgentia transnare flumina, & audaci vestigio montium periculis imminere. Conferat se Græca vanitas, loquatur heroica nomina superbæ virtutis; mirabitur eminentem in Cyro fæminam, aut Achillem in puella majorem. Quis fortior aptavit equos, flexit arcus, vibravit hastas, aut certiori manu destinata perfodit? Præmonente natura, & adornantibus fatis indolem tantæ mox evasuræ Principis.

Brevi namque, ut ad materiam crescentis gloriæ bellorum causæ exarsere. Regia nimirum ætas adulta nondum, & injuriis opportuna finitimorum animos ad res novas erexerat. Intratæ armis Provinciæ, turbata Maris commercia, compulsi ad defectionem populi, & ne ipsa quidem intentata Militum fides. Non diu tulit Christina vindictæ moras; Sed arma, iramque Patris induta, non discinctos primum Afros, nec Asiæ pharetratam

luxuriem, sed lacessitæ statim potentiæ viribus Daniam ipsam aggreditur Macedoni, Pyrrhoque terribilem, & Romanis etiam Aquilis formidatam. Non fluctuum ac tempestatum adversa, non silvarum, ac montium immensitas obstitit, nec perpetua hyeme damnata regio, quo minùs ferocissimam gentem per imbres, & fulmina debellaret. Deinde amnibus, mare, terris erumpens, omnem adeò Germaniæ sinum victricibus armis aperuit, ut nutante fortuna Cæsaris, non minorem Europæ metum intulerit, quàm si ab ipso rigentis Mundi cardine non legionum, aut Classium robora, sed stipendiarias hyemes, totumque procellosi sideris Boreale Cęlum impelleret.

Grandia hæc, & Principum omnium gloriæ caliginem inductura; surgentis tamen famæ incunabula quædam; & bellicæ rudimenta virtutis; Excelsius illud, & magis Christinæ proprium, se ipsam aggredi, affectus premere, & ferocientem

vi-

victoriis animum clementia exarmare. Ignovit victis, amplexa eſt captivos, & adeò memoria, & oblivione mirabilis, ut ultionem, pœnamque, aut hoſtium fortitudini, aut gloriæ ſuæ donaret. Urbes, Arces, Provinciæ in monumentum Regiæ magnanimitatis ceſſere; munus æquiſſimæ pacis deſperantibus datum, & invitis, & novum Coronæ decus promeritum etiam hoſte ſervato.

Hæ Chriſtinæ virtutes, ſupra venuſtatem formæ, ac dotalia Regna potentiores Europæ Principes in ambitum nuptiarum accenderant; ſed obfirmato ad Virginitatem animo, fruſtra ſpes omnium fuere; Reclamante Senatu, & exprobrantibus Populis duram Puellæ mentem, ac Regno exitioſam, quando nec legitimis tædis, nec publicis neceſſitatibus flecteretur: Superbum jam iſtud, & pluſquam Regium, nolle quemquam, nec ferre parem, nec ſimilem genuiſſe: Egregia Pietas damnare uterum, tot poſteros

Reges elidere, & Imperium sæculis partum, ac regio nuper Sanguine prolatum, exterarum Dominationum superbiæ, aut civilium bellorum casibus objectare.

Haud ignara talium Christina meditabatur, quonam temperamento sibi, ac Regno consuleret; cum repente seipsa major, & augustior, adscito qui claritudine generis, majestate formæ, & vi mentis principem locum impleret, inter Senatus, ac Procerum lacrymas, feriato in spectaculum Cœlo, se Imperio abdicavit. Audite Gentes; audite Populi; & in venerationem insignis exempli universa Terrarum potestas assurgat. Quid enim tàm simile Reges olim, ac Cæsares peregere, ut non potiùs fatum suum occupaverint, fractis in senium viribus, aut cogente fortuna? Christina ætatis flore, armis, opibus, auxiliis, & gloria obsequentis fortunæ innixa, sponte, consilio, & adeò volens culmine se rerum demisit, ut vel hoc uno fortitudinis

expe-

experimento tantum ſupra omnes retro Principes aſcenderit, quantum illata ſideribus illa ipſa immenſitate lucis obſcurat. Sed cum excelſa quæque tangantur invidia; non defuere, qui mores Regiæ Virginis pervicaci ſermone laceſſerent. Objectabatur ferox ingenium, & ſtatim præceps; nimia in ſuos indulgentia, nimiâ credulitas; & quòd religioſiùs, quàm Principem ſapientiſſimam decuiſſet, ludibriis Chaldæorum vacaret. Verùm mihi odium extra, gratiamque poſito, ut nefas eſſet Potentum merita ſupra veritatem extollere, ita & eorum vitiis turpi adulatione blandiri, Chriſtinæ tamen animo improbanda quædam, ſed neceſſaria adfuiſſe non abnuerim; tanquam verentibus fatis, ne tot congeſtę in unum virtutes, ſi labe nullâ humanitatis lęderentur, Numen facerent ex mortali. Quamquam, & cur non crediderim cœleſtes hanc mores quibuſdam velut nęvis conſultò adumbraſſe, ne vivens adhuc, & injuria

Su-

Superum inter Divina coleretur? Præsertim quod tanta modestię cura posthumis etiam honoribus intercessit, ut Regios cineres plebejo funeri, nec titulis ullis monstrabili saxo damnaverit; Adeo blandiente in hoc unum fortuna, ut sæculum ei dederit, & infensum virtutibus, & meritorum oblivioni paratum. Veniet tamen Ætas Regina, qua conditum auro, gemmisque Corpus Sanctiora Urbis fastigia in tutelam gentium, & Religionis lumen insedeat; Et si fortasse tàm nobile Latio pignus, aut casus aliquis, aut vetustas absumpserit, tunc sparsa Religione Cinerum, te Capitolium, teque arcus, ac Templa monstrabunt.

Tu interim Christina, quæ augustiores inter spiritus ambitu siderum coronaris, nisi majestate Divinitatis rerum humanarum curam dedigneris, respice casum Urbis, Religionis jacturam. Non te ad levamen publici doloris ingrata votorum nuncupatione distringam.

Cu-

Custodi Principem nostrum, senectam, genus humanum sanctissime moderantem, ætate, quam merebaris, extende. Sentiat Roma, quam nuper amasti, & quæ Cœlo te dedit, tuo etiam se Numine augeri. Cur dubitem, quin precibus, nostrisque affectibus assueta jam ultrò in hæc vota descenderis? Et fortasse his lacrymis, huic funeri læta nunc ades, pietati nostræ gratias agis, tibique gratularis, quòd laudibus tuis indisertus, & rudis, & qualem Cœlesti verecundia exoptaveras, Orator contigerit.



